DE CENSURIS

M. S. Bohan, C. S. C.

DE CENSURIS

IUXTA

CODICEM IURIS CANONICI

AUCTORE

FELICE M. CAPPELLO S. I.

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

AUGUSTAE TAURINORUM
Ex Officina Eq. PETRI MARIETTI - Editoris
TYPOGRAPHI PONTIFICII AC SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS
—
1919

Facultatem concedimus ut opus cui titulus « De Censuris » *a* P. Felice Cappello S. I. *conscriptum, typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.*

Die 5 mense februario anno 1918.

PAULUS DELL' OLIO.

V. Nihil obstat.

Taurini, die 9 Decembris 1918.

Can. Stephanus Ronco, *Rev. Del.*

Imprimatur

Can. FRANCISCUS DUVINA, *Prov. Gen.*

OMNIA IURA VINDICABUNTUR (5-IX-19-21).

PRAEFATIO

Nemo est profecto qui ignoret Codicem iuris canonici, Pii X Pontificis Maximi iussu digestum et Benedicti XV promulgatum, quamplures immutationes easque summi momenti continere ad censuras praesertim quod attinet.

Non ingratum me facturum Seminariorum alumnis et confessariis existimavi, si commentarium de censuris latae sententiae hodie vigentibus in lucem ederem. Probe noveram opus non paucis scatere difficultatibus: confisus unice lectorum benignitati illud aggressus sum. Quae ad modum opinantis exposui, omnia tum sapientiorum iudicio, tum in primis supremae auctoritati Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos obsequentissimo animo subiicio.

Anagniae, die festo Purificationis B. M. V.
2 Febr. 1918.

Felix M. Cappello, S. I.

PARS I.

DE CENSURIS IN GENERE

CAPUT I.

DE NATURA, SUBIECTO ET CAUSA CENSURAE

Articulus I.

De natura censurae.

1. — Notio. — Censura (1) est « *poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur* » (can. 2241, § 1) - (2)

Dicitur: *a*) *poena*, quia culpam supponit et praecise propter ipsam infligitur, etsi per accidens afficiat quandoque etiam innocentem, ut contingere potest in interdicto locali generali.

Poena (3) generatim est malum *passionis* seu sensus, aut *privationis* seu damni, a legitima auctoritate inflictum propter delictum ad ordinem socialem conservandum. Poena ecclesiastica, pressius sumpta, est « privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta » (can. 2215).

(1) Apud Romanos censura dicebatur munus ipsum censoris, qui descriptionem seu censum de personis et bonis civium in tabulas censorias referebat et delicta contra publicam honestatem commissa *censoria nota* signabat. V. Forcellini, *Lexicon lat.* v. *Censura;* Reiffenstuel, *Ius can. univ.*, lib. V, tit. 38, n. 1; Schmalzgrueber, *Ius eccl. univ.*, lib. V, tit. 38, n. 1. Dein generalem significationem poenae obtinuit censurae vocabulum. Quae generalis significatio censurae etiam in foro ecclesiastico paulatim recepta fuit.

(2) Cfr. Suarez, *De censuris*, disp. I, sect. 1, n. 5.

(3) *Poena* a vocabulo graeco Ποινή videtur esse derivanda (licet quidam a τίνω, *solvere*, repetant), et proprie significat *pretium quo iniuria pensatur* i. e. *satisfactionem*. Cfr. Forcellini, *op. cit.*, v. *Poena;* Maschat, *Instit. canon.*, lib. V, tit. XXVII, n. 1; Schmalzgrueber, *l. c.* tit. 27, n. 1.

Qua ex definitione patet, finem *proximum* poenae ecclesiasticae duplicem esse, scil. delinquentis correctionem et criminis punitionem, ideoque poenas ecclesiasticas distingui in medicinales et vindicativas, prout ad rei emendationem principaliter ordinantur vel potius in publicam delicti vindictam, licet secundario intendatur etiam delinquentis correctio (1). Praeterea, cum poena privationem alicuius boni necessario importet cumque spirituale vel temporale huiusmodi bonum sit, manifesto liquet ecclesiasticas poenas dividi in spirituales ac temporales, secundum quod bona sublata spiritualia sint aut temporalia. Porro ex praemissis sequitur, censuram esse poenam spiritualem et medicinalem (2): *spiritualem*, non tantum quia fertur a potestate spirituali ac in finem spiritualem, sed praesertim quia privat bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis; *medicinalem*, quia principaliter irrogatur ad emendationem delinquentis, sicut medicina corporalis aegroto praebetur intuitu valetudinis recuperandae (3).

b) Dicitur qua homo *baptizatus*, quia nonnisi per baptismum quis fit subditus Ecclesiae ac proinde eius legibus obnoxius.

c) Dicitur *delinquens et contumax: delinquens*, quia censura, utpote poena, delictum supponit eiusque ratione infligitur; *contumax*, quia censura, cum sit poena medicinalis, ordinatur ad rei contumaciam frangendam seu ad corrigendam pravam voluntatem delinquentis, qui sciens aliquid per legem vel mandatum superioris sub censura vetari, legem tamen vel mandatum, auctoritate contempta, est transgressus. Conceptus contumaciae infra explicabitur.

d) Dicitur *quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus*

(1) Cfr. Bonacina, *Opera omnia* (Romae, 1754), t. I. *De censuris*, etc., disp. I, q. 1, p. 1, n. 2; Devoti, *Inst. can.*, lib. IV, tit. 1, § 1, 8; Cavagnis, *Instit. iur. publ. eccles.* (Romae, 1882), n. 150 ss.; Tarquini, *Iur. eccl. publ. Instit.* (Romae, 1889), n. 24; Lega, *De iudiciis ecclesiasticis* (Romae, 1890), lib. II, vol. II, n, 47 ss.; Noldin, *De poenis eccl.* (Oeniponte, 1910), num. 3; Cappello, *Instit. iur. publ. eccl.* (Taurini, 1913), vol. I, p. 66 ss.; Ojetti, *Synopsis*, etc. (Prati, 1904), v. *Censura;* Wernz, *Ius Decret.* vol. VI. *Ius poenale Eccl. cath.* (Prati, 1913), n. 72 ss.

(2) Quamvis principalis finis censurae sit emendatio delinquentis, Ecclesia tamen intendit per eam etiam punire delictum aliisque timorem incutere, ita ut si forte desit finis principalis i. e. rei emendatio, non ideo cessent alii fines secundarii, ob quos legitime censura irrogatur. Suarez, *l. c.* n. 7 s.; Schmalzgrueber, *l. c.* tit. 39, n. 5; Wernz, *l. c.* n. 145.

(3) Censura, ut ex dictis aperto liquet, est poena potissimum fori externi, quae tamen vim suam exserit etiam in foro interno, quatenus reipsa in foro conscientiae seu coram Deo ligat suosque effectus sortitur. Suarez, *loc. cit.* n. 5 s.

adnexis; quae verba exprimunt generatim effectus censurae, seu bona duplicis generis — *spiritualibus*, v. gr. indulgentiae, Ecclesiae suffragia; *spiritualibus adnexis*, puta fructus beneficii, beneficia ipsa — quae per censuras auferuntur.

e) Dicitur *donec a contumacia recedens*, ut significetur causa et ratio tum censurae irrogandae tum censurae auferendae.

f) Dicitur *absolvatur*, ad indicandum modum quo censura tollitur.

Singula definitionis verba ex dicendis dilucidabuntur.

2. — Divisio. — 1° Triplex datur censurarum species: *excommunicatio*, *suspensio* et *interdictum* (1). Depositio, degradatio etc., non sunt censurae, sed poenae vindicativae. Suspensio nedum censurae, verum etiam poenae vindicativae rationem quandoque habere potest, ut suo loco dicetur.

2° Spectato auctore immediato vel modo quo feruntur, censurae aliae sunt *a iure* et aliae *ab homine*. Dicuntur *a iure* quae determinatae habentur in ipsa lege, seu quae irrogantur per modum verae legis sive generalis sive particularis aut per modum praecepti generalis, sive sint latae sententiae sive ferendae; *ab homine*, quae feruntur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicialem condemnatoriam, etsi in iure statutae. Poena ferendae sententiae, legi addita, ante sententiam condemnatoriam est *a iure* tantum, postea *a iure* simul et *ab homine*, sed consideratur tamquam *ab homine* (2).

3° Spectato modo quo incurruntur, aliae sunt *latae sententiae* et aliae *ferendae sententiae*. Vocantur *latae sententiae* quae ita sunt additae legi vel praecepto generali ut incurrantur ipso facto delicti commissi, quin opus sit sententia auctoritatis ecclesiasticae; *ferendae sententiae*, quae a iudice vel superiore infligi debent (3). Sententia, quam iudex vel superior ecclesiasticus hoc in casu fert, dicitur *condemnatoria*, ut distinguatur a *declaratoria*, quae fertur pro poenis latae sententiae, ubi superior ecclesiasticus velit easdem plene sortiri iuridicos effectus in foro externo (4), ut explicabitur alibi.

(1) Can. 2255, § 1; cfr. Suarez, *l. c.* sect. 3, nn. 1-4; Reiffenstuel, *l. c.* n. 44; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 6; Bonacina, *l. c.* n. 5.

(2) Can. 2217, § 1; cfr. Wernz, *l. c.* n. 146.

(3) Can. cit.; Maschat, *l. c.* n. 3; Devoti, *l. c.* n. 8; Bonacina, *l. c.* n. 6.

(4) Sententia, qua censura irrogatur, nunquam transit in rem iudicatam. — Suarez, *l. c.* sect. 1, n. 8. Ratio, quia, ut dictum fuit, licet censura sit poena, simul tamen est medicina. Porro rationem medicinae non haberet, si esset perpetua et absque spe remissionis. Maxime cum bona illa, quibus privat, spiritualia sint, et ideo per se et directe magnum quoddam nocumentum in-

4° Spectata potestate absolvendi, censurae aliae sunt *reservatae*, aliae *non reservatae* (1). Censura *ab homine* censetur semper reservata, et quidem ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve superiori competenti, vel successori vel delegato; ex censuris autem *a iure* reservatis, aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae *Apostolicae Sedi*. E reservatis *Apostolicae Sedi* aliae sunt reservatae *a*) *specialissimo modo; b*) aliae *speciali modo; c*) aliae *simpliciter*, pro diversitate vinculi reservationis, seu iuxta mitiorem vel strictiorem modum quo Apostolica Sedes earumdem absolutionem sibi reservat.

Censurae *non reservatae*, a quibus scil. confessarius quilibet absolvere valet, dicuntur etiam *nemini reservatae*.

5° Aliae sunt *notoriae* et aliae *occultae*. Est *notoria* vel *publica* censura, si publice constet quempiam in eam incidisse aut saltem id latere diu non possit; *occulta*, si reus tantum, vel paucissimae personae id cognoscant, nec probabile sit factum divulgatum iri. Aliis verbis: censura dicitur publica vel notoria, si delictum est publicum vel notorium; dicitur occulta, si delictum est occultum.

Porro delictum est: *a*) *publicum*, si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri; *b*) *notorium notorietate iuris*, post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit, vel post confessionem iudicialem delinquentis; *c*) *notorium notorietate facti*, si publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit; *d*) *occultum*, quod non est publicum; *occultum materialiter*, si lateat delictum ipsum seu factum materiale, puta homicidium; *occultum formaliter*, si lateat eiusdem imputabilitas, cum scil. cognoscitur factum, v. gr. occisio, sed vulgo creditur homicidium fuisse involuntarium ideoque agenti non imputabile (2).

Censura dicitur occulta, non solum si delictum sit materialiter et formaliter simul occultum, verum etiam si formaliter tantum sit occultum (3).

6° Demum censura est *iusta* aut *iniusta*, *valida* vel *invalida*,

ferat eorum privatio; ergo solum ea ratione medicinalis esse potest, quatenus peccator propter vitandum tale nocumentum, ad resipiscentiam inducitur, quod non faceret si veniam seu remissionem desperaret. Quare de ratione censurae est, ut sit ligamen dissolubile. Cfr. Suarez, *l. c.*

(1) Can. 2245.

(2) Can. 2197; Maschat, *l. c.* tit. 2, n. 9; Thesaurus, *De poenis* (Romae, a, 1831), II, c. 21; Brabandere, *Iur. can. et iuris canonico-civilis compendium* (Brugis, 1882), n. 1256; Pierantonelli, *Praxis fori ecclesiastici* (Romae, 1883), p. 246 s.; Lega, *l. c.* n. 206; Wernz, *l. c.* n. 17, V.

(3) Noldin, *op. cit.* n. 10.

prout iustitiae, veritati ac legi sit conformis, necne. Id generatim; pressius *valida* et *iusta* dicitur quae nullo defectu laborat; *valida* et *iniusta*, quae habet defectum mere accidentalem; *invalida* et *iniusta*, quae vitiatur defectu substantiali (1).

3. — Nisi *expresse* dicatur in lege vel praecepto censuram esse *latae sententiae*, vel *ipso facto* aut *ipso iure* contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur, tamquam ferendae sententiae haberi debet (can. 2217, § 2).

Quaenam vero sunt *alia similia verba*? Ea quae ministerium seu operam alterius excludunt, ex. gr. *sine alia sententia, eo ipso* etc.; item verba temporis praesentis aut praeteriti, ex. gr. *suspendimus, excommunicamus* etc.; pariter verba modi imperativi, puta, *suspensus maneat, in excommunicationem incidat* etc. (2).

Vox « *anathema sit* », ubi de haeresi agitur, censuram latae sententiae significat; ceteris in casibus censuram ferendae sententiae exprimit (3).

Articulus II.

De subiecto activo censurae seu de auctore.

4. — Potestas Ecclesiae. — Cum Ecclesia sit societas vere proprieque perfecta tum ex sui natura, tum ex Christi positiva voluntate, neminem latet ipsam gaudere plena potestate, scil. legifera ac iudiciaria et coactiva, quae omnia media necessaria vel utilia ad subditos regendos manifesto comprehendit. Verum dubitari non potest, quin censurae necessariae vel saltem utiles sint ad Ecclesiae regimen. Etenim cuilibet societati bene constitutae est potestas excludendi membra noxia, removendi a suis officiis malos magistratus, vetandi certas actiones; ergo Ecclesiae, per modum societatis a divino suo Fundatore institutae, eadem potestas necessario competit. Ceterum ex verbis ipsis, quibus Christus Dominus B. Petro primatum iurisdictionis (4) et ceteris Apostolis amplissimam potestatem (5) contulit, ius ferendi censuras implicite concessum fuisse aperto constat. Quod eorumdem Apostolorum praxi

(1) Cfr. Suarez, disp. IV, sect. 7, n. 1-15.

(2) Reiffenstuel, *l. c.* n. 79 ss.; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 10; Devoti, *l. c.* n. 8; Ball.-Palm., *Opus th. mor.* (Prati, 1894), VII, n. 13 ss.; Hilarius a Sexten, *Tractatus de censur. eccl.* (Moguntiae, 1898), p. 7.

(3) Reiffenstuel, *l. c.*; S. Alph., lib. VII, n. 8; Ball.-Palm., *l. c.* n. 16.

(4) Matth. xvi, 18, 19; Ioann. xxi, 15 sq.

(5) Matth. xviii, 15 sq.

et doctrina confirmatur (1). Accedit autem constans traditio expressaque Ecclesiae doctrina, praesertim contra Ioann. Hus ac universos novatores asserta et vindicata. Qua de re consuli possunt theologi et canonistae (2).

Tamen non est confundenda potestas cum censuris ipsis; hinc, licet potestas sit e iure divino, singulae ac specie distinctae censurae nonnisi iure ecclesiastico nituntur.

5. — Quis generatim censuras ferre possit. — Irrogatio censurae est actus iurisdictionis et quidem fori externi. Hinc omnis et solus Superior ecclesiasticus, cui in foro externo seu contentioso competit iurisdictio, censuras infligere potest; ceteri omnes qui vel iurisdictione prorsus carent, ut laici, vel in foro tantum interno ea pollent, ut parochi, censuras irrogare nequeunt. Iurisdictio vero est duplex, ordinaria et delegata, prout alicui competit vi ipsius muneris seu officii, vel potius vi deputationis seu commissionis Superioris (can. 197, § 1); exinde patet etiam ius ferendi censuras esse ordinarium et delegatum, secundum quod spectet ad personam ecclesiasticam vi muneris proprii, aut ex mandato Superioris (3).

6. — Quinam iure ordinario censuras ferre possint. — Pollent hoc iure: 1° R. Pontifex in omnes fideles, Episcopis et Legatis atque Cardinalibus non exceptis, sive singillatim, sive collective sumptis;

2° Itidem Concilium oecumenicum;

3° Congregationes ac Tribunalia Curiae Romanae intra ambitum suae competentiae;

4° Legati Apostolici in territorio legationis;

5° Episcopi, etiam non consecrati, post captam canonice possessionem, in subditos suos, ita tamen ut generale interdictum tam locale in territorium, quam personale in populum dioecesis ferre prohibeantur (can. 2269, § 1);

6° Concilium provinciale quoad suam provinciam ecclesiasticam;

7° Capitulum ecclesiae cathedralis ante Vicarii Capitularis electionem;

(1) Act. Apost. viii, 20 sqq.; I Cor. v, 1 sq.; II Cor. x, 4 sqq.; xiii, 1 sq.; I Tim. i, 20.

(2) Cfr. Suarez, *l. c.* disp. II, sect. 1 et 2: Schmalzgrueber, *l. c.* 12 s.; Maschat, *l. c.* n. 5; Bonacina, *l. c.* punct. ii, n. 5 ss.; Devoti, *l. c.* n. 12; Soglia, *Instit. iur. publ. eccl.* (Laureti, 1853), I, p. 103 ss.; Cavagnis, *l. c.* n. 279 ss.; Lega, *l. c.* n. 90 ss.; Santi, *Praelect. iur. can.* (Ratisbonae, Romae, etc. 1905), V, p. 187; Wernz, *l. c.* n. 147.

(3) Suarez, *l. c.*; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 14; Ball.-Palm., *l. c.* n. 31 ss.

8° Vicarius Capitularis, cum limitatione quoad ius Episcopi memorata;

9° Item Administratores Apostolici;

10° Abbates vel Praelati *nullius* iurisdictione episcopali pollentes (can. 323, § 1), qui scil. territorium proprium, separatum ab omni dioecesi, cum clero et populo habent, dummodo abbatia vel praelatura *nullius* tribus saltem paroeciis constet; secus enim iure singulari ipsa regitur (can. 319, § 2);

11° Vicarii et Praefecti Apostolici;

12° Praelati regulares, seu Generales et Provinciales; imo etiam locales saltem quoad nonnullos Ordines; item eorumdem Capitula. Qua de re peculiares singulorum Ordinum constitutiones attendantur necesse est.

Vicarius generalis, aliter ac antea, censuras irrogare non potest sine Episcopi speciali mandato (can. 2220, § 2); neque metropolita seu archiepiscopus (et a fortiori patriarcha ac primas, cum, praeter praerogativam honoris et ius praecedentiae, nulla *per se* gaudeant speciali iurisdictione — can. 271) in subditos suffraganeorum, nisi tempore visitationis aut ubi causa ad eius tribunal per appellationem devolvatur.

Disputabant olim Doctores num Cardinalis in ecclesia sui tituli censuras posset infligere, necne — aliis affirmantibus, ut Noldin (1), Hilarius a Sexten (2); aliis, probabilius, negantibus ex Const. « *Romanus Pontifex* » Innocentii XII, 17 sept. 1692, ut Ball.-Palm. (3), Wernz (4) aliique plures.

Iuxta praescriptum can. 240, § 2, Cardinales in suis titulis vel diaconiis « omnia possunt quae locorum Ordinarii in suis ecclesiis, *exceptis ordine iudiciorum et qualibet iurisdictione* »; atqui censurae inflictio est actus iurisdictionis; ergo, si Cardinales carent qualibet iurisdictione, palam est, ni fallimur, eos censuras ferre non posse in suis titulis aut diaconiis. Quod, saltem implicite, confirmatur can. 239.

7. — Quinam iure delegato possint censuras irrogare. — Omnes et soli clerici seu prima tonsura saltem insigniti delegari possunt ad censuras ferendas, dummodo ad laicalem statum legitime redacti aut regressi non sint iuxta praescripta canonum 211-214 (5).

(1) *Op. cit.* n. 11.

(2) *Op. cit.* p. 9 s.

(3) *Loc. cit.* n. 21.

(4) *Op. cit.* II, n. 632; VI, n. 148.

(5) Delegatus non potest alios subdelegare, nisi expresse licentiam a delegante obtinuerit aut nisi fuerit delegatus ad universitatem negotiorum vel

Diximus *omnes et soli clerici*, nam laici, ex iure positivo, incapaces sunt iurisdictionis ecclesiasticae. Num feminae sint iure divino incapaces, controvertitur. Sententia, quam probabiliorem putamus, a theologis et a canonistis praesertim recentioribus propugnata, ex solo iure humano seu ecclesiastico incapacitatem repetit, ita ut, aiunt praefati Doctores, ex plenitudine potestatis R. Pontificis facultas irrogandi censuras feminae delegari posset. Id tamen non expedire vix dicere opus est (1).

Articulus III.

De subiecto passivo censurae.

8. — Subiectum passivum in genere. — Subiectum passivum censurae est omnis et solus homo baptizatus, rationis compos ac doli capax, viator, iurisdictioni Praelati ecclesiastici censuram ferentis vere subditus.

Dicitur: *a*) *Omnis et solus homo baptizatus*, quia nonnisi baptizati subsunt, utpote membra, Ecclesiae iurisdictioni, et gaudent spiritualibus bonis, quibus per censuras privantur; et quidem universi fideles, sive clerici sive laici, mares feminaeve, cuiuscumque gradus et conditionis ac dignitatis, censuris plecti possunt. Neque excipiuntur apostatae, haeretici et schismatici, dummodo sint valide baptizati; nam per baptismi susceptionem facti sunt Ecclesiae subditi ac ideo eiusdem potestati obnoxii, etsi forte a fide et unitate catholica defecerint (2).

Unus R. Pontifex, qui superiorem in terris non habet, censura non ligatur (3).

Quaeri potest, num dubie baptizati sint subiectum passivum

delegatus a Sede Apostolica, modo electa non fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita (can. 199).

Potestas autem delegata exstinguitur, expleto mandato; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata; non autem resoluto iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61 (can. 207, § 1).

(1) Suarez, *l. c.* sect. 3, n. 5 ss.; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 15; Maschat, *l. c.* n. 5 s.; Pirhing, *Ius canonicum* (Venetiis, 1759), lib. V, tit. 39, n. 24; Santi, *op. cit.* lib. I, p. 373; Ball.-Palm., *l. c.* n. 34 ss.; Bargilliat, *Praelect. iur. can.* (Parisiis, 1909), I, n. 237; Wernz, *Op. cit.* II, n. 555; VI, n. 149.

(2) Cfr. Suarez, disp. V, sect. 1, n. 23 ss.

(3) Suarez, *l. c.* n. 2.

censurae? Non desunt auctores, aliis tamen probabilius negantibus, qui contendunt dubie baptizatos ligari legibus ecclesiasticis (1). Ad censuras vero quod attinet, negativam sententiam ut certam amplectimur, tum ex generali principio quod censurae, cum sint res odiosae, strictam postulant interpretationem, tum ex praescripto can. 12.

Dicitur: *b) rationis compos*, sive quia censura supponit culpam, quae, deficiente rationis usu, haberi nequit; sive quia legibus mere ecclesiasticis non tenentur baptizati sufficientem rationis usum nondum assecuti (can. 12) - (2). Ad amentes et semifatuos quod spectat, si lucida habeant intervalla, videre praestat, num *habitualiter* sint rationis compotes, necne; si primum, sunt capaces censurae; secus, non.

Dicitur: *c) doli capax*, quia censura fertur ob grave delictum cum contumacia coniunctum. Dolus heic est « deliberata voluntas violandi legem » (can. 2200, § 3); proinde non sufficit ut quis sit compos rationis, sed praeterea ex mente Ecclesiae requiritur quod tantae malitiae sit capax ut *deliberatam voluntatem violandi legem ecclesiasticam habere possit* (3).

Hanc ob causam can. 2230 statuit: « impuberes excusantur a poenis latae sententiae ». Dubitandum tamen non est quin summo iure impuberes, rationis compotes dolique capaces, censuris ligari possint, licet Ecclesia, ipsorum levitati indulgens, ab incurrendis censuris latae sententiae eos eximat.

Quamvis Superior ecclesiasticus possit censuris ferendae sententiae impuberes ligare, id tamen non expedit; mens enim Ecclesiae est ut « potius punitionibus educativis, quam *censuris* aliisque poenis gravioribus corrigantur » (can. cit.) - (4).

Dicitur: *d) viator*, quia Ecclesia non gaudet iurisdictione in mortuos. Si quandoque haeretici etiam post mortem fuerunt excommunicati, huiusmodi sententia non fuit condemnatoria, sed mere declaratoria, quatenus Ecclesia, ad fideles salutari timore percutiendos, declaravit haereticos in vita ob sua delicta in censuram incurrisse ideoque ut censuratos esse habendos, i. e. publicis suffragiis et sepultura ecclesiastica privandos. Item si excommunicati, qui cum signis poenitentiae ex hac vita migrarunt, absolvuntur, sententia absolutionis non mortuis praecise datur, sed vi-

(1) Cfr. Wernz, *op. cit.* I, n. 103, nota 81; Wilmers, *De Christi Ecclesia* (Ratisbonae, 1897), p. 625; Billot, *Tract. de Eccl. Christi* (Romae, 1898), vol. 1, p. 295.

(2) Ball.-Palm., *l. c.* n. 118.

(3) De Luca, *Praelect. iur. can.* lib. IV. *De delictis et poenis eccl.* (Romae, a. 1898), n. 5; Lega, *l. c.* n. 23; Wernz, *op. cit.* VI, n. 150.

(4) Lega, *l. c.* n. 99; Ball.-Palm., *l. c.* n. 119.

vis, quatenus solvuntur a prohibitione sepeliendi ritu sacro cadaver defuncti excommunicati (1).

Dicitur: *e) iurisdictioni Praelati ecclesiastici censuram ferentis vere subditus*, quia iurisdictio exerceri nequit nisi in subditos. Proinde R. Pontifex, qui superiorem in terris non habet, nec ab alio neque a seipso censura potest ligari; e converso idem Pontifex, cum potestate ordinaria et immediata polleat sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, ius habet, plenum equidem ac independens et supremum, censuras ferendi in universos christifideles, tum singillatim tum collective sumptos (2).

Episcopus in suos dioecesanos censuras potest irrogare, et Praelatus regularis in sodales subditos. Idem dicas generatim de ceteris Praelatis iurisdictionem in foro externo habentibus, iuxta ea quae dicta fuere in art. praecedenti.

Superior ecclesiasticus non incurrit censuram a se latam, quia nemo est subditus sibi ipsi (3).

Ex huc usque traditis manifesto liquet esse censurae ecclesiasticae incapaces: 1° creaturas irrationales; anathema vero quod Ecclesia in creaturas irrationales quandoque dixit, ad ostendendam execrationem ac detestationem latum fuit, non autem in culpae punitionem; 2° infideles, hebraeos, omnes homines non baptizatos, ipsos etiam catechumenos; 3° infantes, amentes et alios usu rationis habitualiter carentes; 4° mortuos (4).

Cardinales, nisi expresse nominentur, sub lege poenali non comprehenduntur (can. 2227, § 2); ideo non ligantur censuris latae vel ferendae sententiae. nisi expressa mentio de ipsis habeatur. Neque Episcopi, nisi expresse nominentur, sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti comprehenduntur (can. cit.); at sub poena latae sententiae *excommunicationis* certe comprehenduntur.

Reges et reginae, seu qui supremum populorum principatum obtinent, horumque filii ac filiae, et ii quibus ius est proxime succedendi in principatum, ab Episcopis nequeunt censuris ligari, ex iuris speciali praescripto, sed solum a R. Pontifice (cc. 1557, § 1, 1°, 2227, § 1) - (5). Verum a censuris generali modo in iure pontificio latis nequaquam per se exempti sunt.

(1) Cfr. Suarez, disp. V, sect. 1, n. 1-11 ; *Rituale Rom.*, tit. III, cap. 4.

(2) Reiffenstuel, *l. c.* n. 18 ; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 35 ; Devoti, *l. c.* n. 13 ; Ball.-Palm., *l. c.* n. 46 ss.

(3) Hinc Episcopi aliique Praelati ecclesiastici non ligantur censuris, quas ipsi tulerint, etsi forte velint ac intendant se quoque iisdem teneri.

(4) Cfr. Wernz, *l. c.* n. 151.

(5) Reiffenstuel, *l. c.* n. 20 ; Génicot, *Theol. Mor. Instit.* (Lovanii, 1900), vol. II, n. 566, IV, ; Santi, *op. cit.* V, p. 189 ; Hilarius a Sexten, *l. c.* p. 16.

9. — Peregrini (1). — *a*) Qui extra suum domicilium vel quasi-domicilium versantur, non incurrunt censuras episcopales latae sententiae, quae forte in loco commorationis vigent, nisi agatur de censuris adnexis iis legibus, quas ipsimet peregrini observare tenentur. Huiusmodi vero leges eae sunt quae « ordini publico consulunt, vel actuum solemnia determinant » (can. 14, § 1, 2°), scil. leges generatim quae bonum publicum respiciunt vel pactorum aliorumque actuum solemnitates praescribunt (2).

Episcopus tamen potest per iudicialem sententiam aut particulare praeceptum censuram irrogare in peregrinos, qui delictum commiserint in eius territorio; nam ratione delicti fiunt subditi Episcopi loci, iuxta illud : « reus forum sortitur in loco patrati delicti » (can. 1566, § 1).

b) Ad censuras autem quod attinet in sua dioecesi vigentes, peregrinus alibi commorans ac delinquens, num eas incurrat necne, sic breviter distinguendum : non incurrit, si agitur de censuris *latae sententiae* adnexis legibus particularibus sui territorii, quas observare non tenetur, seu « nisi aut eorum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales » (can. 14, § 1, 1°); si agitur de censuris *ab homine* sive latae sive ferendae sententiae, peregrinus, extra dioecesim delinquens, iisdem certe ligatur (cfr. can. 24).

Item Episcopus censuram *ab homine* in subditum actu commorantem extra dioecesim ferre potest, ob delictum patratum in dioecesi aut alibi, cum iurisdictionem in eum semper habeat ac retineat (3).

(1) Persona dicitur : *incola*, in loco ubi domicilium, *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet ; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet ; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi domicilium (can. 91). Cfr. etiam cc. 92-95.

(2) Has censuras etiam *vagi* contrahunt, cum ipsimet praefatas leges, quippe quae in bonum publicum latae sunt, servare teneantur.

(3) Si quis, *mutato domicilio*, ponat actum sub censura prohibitum a Superiore domicilii relicti, illam censuram certe non incurrit, sive adnexa sit legi particulari sive praecepto generali aut particulari ; nam per mutationem domicilii desiit esse subditus prioris Praelati. Verum si censura feratur *sub conditione*, quae factum *praeteritum* et commissum tempore prioris domicilii et subiectionis respiciat, profecto manet subiectio quoad talem causam et censuram ratione iuris acquisiti ex facto *praeterito*. Ideo si iudex imponat sub censura delinquenti restitutionem vel satisfactionem intra determinatum tempus, et reus intra huiusmodi tempus mutet domicilium, non liberatur a censura. Cfr. Suarez, disp. V, sect. 1, n. 4 ss. ; Wernz, *l. c.* nota 55.

Censura non incurritur, etiamsi crimen inchoatum fuerit intra fines dioecesis, et consummetur extra dioecesim ; nam censura non contrahitur, nisi crimen in sua specie consummetur ; cum autem haec consummatio accidit,

c) Ubi quis deliquerit in loco dioecesis exempto, puta in monasterio, delictum censetur patratum extra dioecesim; ideoque applicanda veniunt quae supra tradidimus (1).

d) Censura « reum ubique terrarum tenet, etiam resoluto iure Superioris, nisi aliud expresse caveatur » (can. 2226, § 4).

10. — Religiosi exempti. — Censuris ab Episcopo latis non ligantur neque ligari possunt, cum, ex ipso conceptu exemptionis, Episcopi potestati subiecti non sint. Tamen in nonnullis rebus etiam regulares Episcoporum iurisdictioni subiiciuntur (cfr. ex. gr. cc. 831, § 3, 1274, § 1, 1291, § 1, 1293, 1382, 1516); quod si delinquant circa praefatas res, Episcopus potest eos censuris punire. Quo in casu, attento iure novo, aliter ac probabilius iure antiquo, potestate ordinaria agit, et non tamquam S. Sedis delegatus (2).

11. — Num et quanam ratione possit quis pluribus censuris ligari. — Dubitandum non est quin censura non solum diversae, sed etiam eiusdem speciei, in eodem subiecto multiplicari possit (3). Ad rationem seu modum quod spectat, inter censuram latae sententiae et censuram ab homine est distinguendum. Prior multiplicatur:

« 1° Si diversa delicta, quorum singula censuram secumferunt, eadem vel distincta actione committantur;

« 2° Si idem delictum, censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint delicta distincta;

« 3° Si delictum, diversis censuris a distinctis Superioribus punitum, semel aut pluries committatur » (can. 2244, § 2).

Censura ab homine multiplicatur « si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant » (can. cit. § 3).

reus a iurisdictione sui Ordinarii exemptus est. Hinc v. gr. si lata sit censura contra committentes stuprum, eam non incurrit, qui virginem extrahit a proprio territorio et extra illud stuprum consummat. Item si quis homicidium in sua dioecesi sub censura prohibitum inchoavit intra dioecesim hominem persequendo aut vulnerando, consummavit vero extra dioecesim illum occidendo, censuram non contrahit. S. Alph., *l. c.* n. 22; Ball.-Palm., *l. c.* n. 97.

Attamen si vulnus intra dioecesim inflictum causa esset mortis, incurreret censuram, licet mors sequeretur extra; idem dic, si venenum quis dedit intra dioecesim, etiamsi moriatur alter extra.

(1) Schmalzgrueber, *l. c.* n. 59; Ball.-Palm., *l. c.* n. 96.

(2) Cfr. Ball.-Palm., *l. c.* n. 65 ss.; Génicot, *l. c.* 6°; Bucceroni, *Comm.* II. *De censuris* (Romae, 1899) n. 11; Vermeersch, *De religiosis institutis et personis* (Brugis, 1902) I, n. 370.

(3) Schmalzgrueber, *l. c.* n. 51 ss.; Maschat, *l. c.* n. 11; Lega, *l. c.* n. 102.

12. — Num censura possit afficere corpus morale et locum. — Excommunicatio potest afficere solum personas physicas; interdictum et suspensio, etiam communitatem, ut personam moralem; interdictum, etiam locum. Quod si excommunicatio quandoque feratur in corpus morale, eo sensu debet intelligi quatenus singulos afficiat qui in delictum concurrerint (can. 2255, § 2) - (1).

Articulus IV.

De causa censurae seu de delicto.

13. — Culpa ob quam censura ferri potest. — Censura punitur tantummodo « delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum » (can. 2242, § 1).

Dicitur: *a*) *delictum*, quo nomine, iure ecclesiastico, intelligitur « externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata » (can. 2195, § 1); si unum vel alterum ex quatuor his elementis desit, non habetur notio delicti stricto sensu ecclesiastico.

Dicitur: *b*) *externum*, quia, cum Ecclesia seu legislator humanus nequeat in actus mere internos iudicia exercere, non potest congruis poenis eosdem actus punire, et ideo censura, utpote poena, in peccatum mere internum ferri non potest (2). Quidam auctores, inter censuram ferendae et latae sententiae distinguentes, docent hanc posse irrogari, non vero illam. Ita v. gr. Noldin (3). Haec opinio, attento praescripto can. 2242, § 1 — « censura punitur *tantummodo* delictum externum... » — caret probabilitate, saltem quoad usum potestatis, ita ut hodie non amplius defendi queat.

Dicitur: *c*) *grave* sive quoad actum internum sive quoad actum externum, quia censura, cum sit natura sua poena gravis imo gravissima, supponit necessario culpam gravem (4). Quantitas autem delicti dimetienda est non solum ex diversa gravitate legis laesae, sed etiam ex maiore minoreve imputabilitate aut damno illato (can. 2196). Quidquid delinquentem excusat a gravi peccato,

(1) Schmalzgrueber, *l. c.*, n. 44 s.; Maschat, *l. c.* n. 10; Pirhing, *l. c.* n. 18: Reiffenstuel, *l. c.*, n. 89.

(2) Cfr. Suarez, disp. IV, sect. 2, n. 5 ss.; Bonacina, *l. c.* punct. III; Ball.-Palm., I, n. 122 ss.; Wernz, I, n. 98; VI, n. 153.

(3) *Op. cit.* n. 20.

(4) Suarez, *l. c.* sect. 4, n. 2 ss.; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 56 ss.; Devoti, *l. c.* n. 12; Bucceroni, *l. c.* n. 14; Ball.-Palm., VII, n. 131.

v. gr. actus imperfectus cognitionis vel consensus, parvitas materiae etc., ab ipsa censura incurrenda excusat; in foro externo tamen quis habetur tamquam censuratus, nisi manifesto constet de causa excusante seu de culpae gravis defectu (can. 2218, § 2).

Iure antiquo, quidam auctores affirmabant censuram posse infligi etiam ob culpam levem (1); iure novo, id sustineri non potest, ex praescripto can. cit., nisi forte agatur de culpa obiective quidem levi, at ex circumstantiis gravi, puta, ratione scandali.

Dicitur: *d) consummatum* seu opere completum, quia non sufficit actus attentatus vel incompletus, sed requiritur actus vere positus et in genere suo per secutum effectum completus (2). Poena enim lege statuta non incurritur, « nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis » (can. 2228) - (3)

Hinc si censura punitur incestus, poena non incurritur nisi ob copulam perfectam cum consanguinea vel affine; si censura punitur homicidium, eam non incurrit qui vulnus, etsi letale, inferat, nisi mors reipsa sequatur. Ex dictis sequitur sive delictum *frustratum* (4) sive a fortiori *delicti conatum* (5) non esse consummata ideoque *per se* non comprehendi regula tradita.

Dicitur: *e) cum contumacia coniunctum* (6), quia censura fertur

(1) Cfr. S. Alph. VII, n. 30; Suarez, *l. c.*; Lega, *l. c.* 85, nota; Noldin, *l. c.* 19.

(2) An mandantes, auxilium vel consilium aut favorem praestantes incurrant censuram *effectu* tantum *secuto* aut potius etiam *non secuto*, ita distinguendum est: si censura fertur in mandantes vel consilium dantes etc. *praecise* propter mandatum aut consilium etc., censura incurritur etiam effectu non secuto. At si censura *principaliter* irrogatur *propter opus*, et nonnisi *secundario* atque *accessorie* propter *mandatum* aut *consilium*, non incurritur nisi effectu secuto. Utrum vero principaliter vel secundario feratur censura, ex verbis legis dignoscitur.

Iuxta sententiam quorumdam auctorum, quam probabiliorem putamus ex iuris principiis, qui simplex mandatum vel consilium dederit, effectu etiam secuto, non incurrit censuram, si alter ad opus iam erat determinatus, ita ut mandatum vel consilium *efficacem influxum* reipsa non habuerit. Cfr. Suarez, disp. IV, sect. 3; S. Alph., *l. c.* n. 38; Ball.-Palm., *l. c.* n. 138.

(3) Schmalzgrueber, *l. c.*; Bucceroni, *l. c.* n. 14; D'Annibale, *Summula theol. mor.* (Mediolani, 1881), I, n. 326; Noldin, *l. c.* n. 21.

(4) « Cum omnes actus positi vel omissi sunt qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt et ad delictum perficiendum sufficiunt, si ex alia causa, praeter voluntatem agentis, effectum sortiti non sint, delicti conatus dicitur proprio nomine delictum *frustratum* » (can. 2212, § 2)

(5) « Quicumque actus posuerit vel praetermiserit qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt, sed delictum non consummaverit, sive quia consilium suum deseruit, sive quia delictum propter insufficientiam vel ineptitudinem mediorum perficere non potuit, *delicti conatum* committit » (can. cit. § 1).

(6) Cfr. Suarez, disp. IV, sect. 5; Reiffenstuel, *l. c.* n. 14; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 67; Ball.-Palm., *l. c.* n. 155 ss.

ad pravam voluntatem illius frangendam, qui sciens et volens legem ecclesiasticam violavit sicque delictum sub poena prohibitum commisit (1). Contumacia consistit in formali vel interpretativo contemptu legis aut praecepti Superioris; proinde duplex est: *formalis* et *virtualis* seu *interpretativa* (2). Formalis habetur, cum quis ideo legem vel praeceptum violat ut praecise contemnat auctoritatem, et proinde specialem malitiam importat; virtualis seu interpretativa habetur, cum quis sciens aliquid sub censura esse prohibitum, nihilominus contra prohibitionem agere audet, quin Superioris potestatem directe contemnere intendat. Tam pro censuris latae quam pro ferendae sententiae requiritur contumacia; at diversa ratione. Si agitur de censura ferendae sententiae, contumax est qui, non obstantibus monitionibus, a delicto non desistit vel patrati delicti poenitentiam cum debita damnorum et scandali reparatione agere detrectat; si agitur de censura latae sententiae, sufficit contumacia virtualis seu ipsa « transgressio legis vel praecepti cui sit adnexa latae sententiae poena, nisi reus legitima causa ab hac excusetur » (can. 2242, § 2). Nec opus est, ut in actu peccati, ex. gr. dum quis legit libros nominatim per Litteras Apostolicas prohibitos, cogitet de censura, dummodo eam habitualiter cognoscat (3).

(1) Contumacia non debet necessario *praecedere* actum quo censura fertur, sed necessario et semper requiritur ut *conditio* ad incurrendam censuram. Ad hoc enim Praelatus comminatur censuram ut per eam subditos deterreat ab inobedientia, et sic censuram non contrahat, nisi qui eam parvipendens velit esse inobediens. D'Annibale, I, n. 326.

Qui, posita actione culpabili, revocat, puta, mandatum vel consilium, poenitentia motus, antequam effectus sequatur, incurrit, saltem probabilius, censuram, quia poenitentia non impedit quominus effectus postea secutus sit vere voluntarius. Ratio, quia contumacia habetur eo ipso quod quis legem poenalem Ecclesiae cognoscens, nihilominus voluntarie eam transgreditur. At censura non incurritur nisi postquam effectus sit secutus. Lugo, *De poenit.*, disp. XVI, n. 445 : Ball.-Palm., *l. c.* n. 142.

Et quamvis opposita sententia sit probabilis (Schmalzgrueber, *l. c.* n. 74 ; S. Alph., *l. c.* n. 40, a quo immerito prorsus citantur in favorem huius opinionis Suarez, Viva, Filliuccius, Bonacina, Croix, et Bosco ; nam Suarez loquitur de *irregularitate* et non de censura, Viva et Filliuccius ac Bonacina silent, Croix et Bosco tenent oppositum), tamen in foro *externo* delinquens, etiam interposita resipiscentia, tanquam censuratus, arbitrio Superioris, est habendus.

At si revocatio ita efficax foret ut reus moraliter causa effectus secuturi non amplius esset, certe censura non contraheretur. Cfr. Lehmkuhl, *Theol. Mor.* (Friburgi Brisgoviae, 1910), II, n. 1111.

(2) Reiffenstuel, *l. c.* n. 14 ; D'Annibale, *l. c.* ; Génicot, *l. c.* n. 563 ; Bucceroni, *l. c.* n. 15 ; Wernz, *l. c.* n. 145.

(3) Santi, *l. c.* p. 190, 9 ; Noldin, *l. c.* n. 22.

CAPUT II.

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS AD INFLIGENDAM CENSURAM ET DE CAUSIS AB EA EXCUSANTIBUS

Articulus I.

De iis quae servari debent in censuris ferendis.

14. — Conditiones ex parte auctoris (1) — 1° Necesse est Praelatus ecclesiasticus *possit suam potestatem ordinariam vel delegatam iure exercere*, quatenus sublata vel suspensa aut impedita nullo modo sit, puta per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (can. 2264), vel, ubi agitur v. gr. de Vicario Generali ex mandato speciali (can. 2220, § 2), ob revocationem ab Episcopo legitime intimatam, aut sedis episcopalis vacationem, vel suspensam episcopalem iurisdictionem (can. 371), etc. Quibus in casibus, deficiente actu potestate, censuram invalidam esse compertissimum est.

2° Sit *rationis compos*, secus humanus actus haberi nequit; proinde censura forte irrogata ab amente vel ebrio aut semifatuo est nulla et invalida.

3° *Habeat intentionem vere ligandi* eum, in quem censuram fert; nam censurae inflictio est iurisdictionis actus, qui a voluntate totam vim suam habet; ideo censura per modum ioci aut non serio irrogata, nulla est. Attamen in foro externo praefata intentio ligandi ex parte Superioris semper supponitur, nisi aut verba ipsa aut rerum adiuncta aliud manifesto ostendant.

4° *Libere* seu *nullo modo coactus* agat. Verum censura ex metu gravi etiam iniusto lata, nisi desit iusta causa vel intentio ligandi, per se valida est; nam actus ex metu gravi positus per se validus est (cfr. can. 103, § 2, 1317, § 2), nisi iure positivo irritetur; porro ius positivum minime irritat ipso facto censuram ex metu gravi inflictam; ergo.

5° Generatim saltem loquendo, censuram ferat *in proprio ter-*

(1) Suarez, disp. II, sect. 4, n. 2 ss.: Reiffenstuel, *loc. cit.* n. 35 ss.; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 22 ss.; Bonacina, *l. c.* punct. VII; Engel, *Collegium univ. iur. can.*, lib. V, tit. 39, n. 106.

ritorio existens. Iudex enim ecclesiasticus non potest, salvo praescripto can. 1637, iurisdictionem contentiosam exercere extra suum territorium; atqui irrogatio censurae est actus iurisdictionis contentiosae, qui ordinarie cognitionem causae et strepitum iudicialem requirit; ergo si ordine iudiciali opus est pro censura infligenda, Praelatus extra proprium territorium eam ferre nequit, nisi de consensu Episcopi loci iurisdictionem contentiosam exercere valeat.

Si autem ordo iudicialis seu iurisdictio contentiosa non sit necessaria, nil vetat quominus Episcopus in territorio alieno existens infligat censuras. Proinde censurae per modum legis vel praecepti semper ferri possunt extra proprium territorium.

6° Haberi debet *causa iusta* (1) seu certa notitia de gravi delicto commisso, nondum legitime praescripto, secus censura est omnino invalida et iniusta (2). Sane can. 2233, § 1 statuit: « Nulla poena infligi potest, nisi certo constet delictum commissum fuisse et non esse legitime praescriptum ». Non sufficit ergo simplex coniectura aut probabilitas maior minorve de patrato delicto, sed requiritur certitudo; et praeterea certo constare debet locum haud esse legitimae praescriptioni.

Quandonam delictum habendum est ut legitime praescriptum? Haec praescripta attendantur oportet: *a*) delicta S. Congregationi S. Officii reservata, quae scil. haeresim aut haeresis suspicionem inducunt, non sunt praescriptioni obnoxia (cfr. can. 1555, § 1, 1703); *b*) actio iniuriarum uno anno perimitur; actio ob delicta qualificata contra sextum et septimum Decalogi praeceptum, quin-

(1) Quod valet etiam si censura per particularem sententiam feratur, et iusta causa censurae vere a parte rei exsistat, sed in iudicio non sit legitime probata: nam defectus substantialis procedurae iudicialis reddit censuram invalidam et vere iniustam, ut egregie animadvertit clariss. Wernz (*l. c.* n. 162), cum iustitiae non solum legali, verum etiam commutativae adversetur.

(2) Censura manifesto iniusta, utpote invalida, minime tenet eum, in quem lata est. Proinde hic potest se habere tamquam non censuratum, sive in foro interno sive etiam in foro externo. At, si non constet publice de nullitate censurae, censuratus tenetur *per accidens* in foro externo censuram observare, non quidem vi ipsius censurae, sed vi iuris naturalis, ratione scil. scandali et contemptus auctoritatis ecclesiasticae vitandi. Palam est, ita invalide seu iniuste censuratum non privari communione Ecclesiae in suffragiis, orationibus etc. Cfr. Suarez, disp. IV, sect. 7, n. 13 ss.; Reiffenstuel, *l. c.* n. 41 In dubio an censura sit incursa, necne, sive dubium sit iuris sive facti, non tenetur quis in foro conscientiae se habere ut censuratum. E contra, in dubio de absolutione obtenta, vel non; item in dubio, an censura sit valida, aut minus, standum est pro existentia et validitate censurae, cum lex et praesumptio, nisi aliud manifesto constet, Superiori faveat, ut communiter docent auctores.

quennio; actiones ob simoniam vel homicidium, decennio; quaevis alia actio criminalis, praeter memoratas, triennio perimitur (can. 1163); *c)* praescriptio in criminalibus currit a die patrati delicti; quod si delictum habeat tractum, ut vocant, successivum, non currit praescriptio, nisi a die qua delicti tractus cessaverit; in delicto autem habituali vel continuato praescriptio non decurrit nisi post ultimum actum; et conventus ob aliquem criminosum actum nondum praescriptum, tenetur etiam de antiquioribus, qui cum eodem actu connectuntur, licet singillatim sumpti ob praescriptionem excluderentur (can. 1705); *d)* ubi probabile tantum sit delictum fuisse commissum aut delicti certe commissi criminalis actio sit praescripta. Superior ius et officium habet aliis remediis utendi, puta, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii; quae tamen remedia in casu rationem poenae non habent (cc. 1704, § 2, 2222, § 2).

Demum ad *causam iustam* censurae quod attinet, haec duo praescripta prae oculis sunt semper habenda:

a) « si dubitetur utrum poena, a Superiore competente inflicta, sit iusta, necne, poena servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis (de qua infra) in suspensivo » (can. 2219, § 2);

b) « censurae, praesertim latae sententiae, maxime excommunicatio, ne infligantur, nisi sobrie et magna cum circumspectione ».

7° Superior in censura irroganda *modum* et *solemnitates* seu *monitiones* servare tenetur, de quibus distincte loquemur.

15. — Modus. — Imprimis ad modum sive formam quod spectat, clare dignosci debet num agatur de censura *a iure* vel *ab homine;* num sit *latae* vel *ferendae sententiae;* num, puta ubi clericus suspendatur, sit suspensio *ab officio*, aut *a iurisdictione* tantum, vel *ab ordinibus* etc. Hinc censura sive quoad personam sive quoad speciem suam ita exprimi debet, ut quaevis confusio et indeterminatio excludatur omnino (1).

16. — In censuris ferendis verba propria et formalia necessario non requiruntur; attamen ad praedictam confusionem ac indeterminationem vitandam, ea verba adhibeantur necesse est, quae usu Ecclesiae et communi loquendi modo canonistarum probata sunt (2).

17. — Censura tam a iure quam ab homine si per sententiam iudicialem infligatur, in scriptis ferenda est; quod si irrogetur per

(1) Censura ferri potest etiam in delinquentes ignotos (can. 2242). Ratio est manifesta.

(2) Suarez, disp. III sect. 3, n. 6 ss.; Wernz, *l.* c. n. 165.

particulare praeceptum, sive scripto sive coram duobus testibus *ordinarie* ferri debet; quae vox *ordinarie* aperto significat id non requiri sub nullitatis poena (1); praeterea si infligatur per sententiam iudicialem, servanda sunt omnia canonum praescripta circa sententiae iudicialis pronuntiationem; et in utroque casu indicanda est causa censurae seu culpa, salvo praescripto can. 2193, ubi agitur de suspensione in clericum ferenda (can. 2225) - (2). Si scripto irrogetur censura, illud transmittendum est per cursorem Curiae episcopalis, vel per tabellarios publicos, ope tamen commendationis et cum syngrapha receptionis (ital. *per lettera raccomandata con ricevuta di ritorno*), aut etiam, ut putamus, ad normam can. 1719, alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit. Cfr. n. 28.

18. — Censura ordinarie fertur absolute; nihil obstat tamen quominus etiam conditionate infligatur (3), modo conditio ad causam censurae aliquo modo pertineat. Num autem valida sit, necne, si conditio ad causam non pertineat, sic praestat distinguere: si conditio de praesenti vel praeterito iam existat, censura valida est, et e converso, si non existat, irrita est: si conditio apposita de futuro contingente sit, censura iam ab initio est irrita ac invalida omnino, nec ulla datur obligatio exspectandi eventum appositae conditionis.

19. — Monitiones. — Ubi agitur de censuris latae sententiae, monitiones non sunt praemittendae, nam lex vel praeceptum per se monitionem iam continent, ut recte docent auctores (4). Ubi de censuris ferendae sententiae agitur, reus reprehendi ac moneri debet ut a contumacia recedat, dato, si prudenti iudicis ecclesiastici vel Superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad resipiscentiam tempore; et nonnisi contumacia persistente, censura irrogari potest (cc. 2233, § 2, 2242, § 2).

Non una, sed plures requiruntur monitiones, ut liquet ex praescripto cit. can. 2242, § 2, et quidem ad validitatem censurae. Num una peremptoria pro omnibus iure novo sufficiat, per se negandum esse putamus, ubi lex plures monitiones fieri expresse iubeat; secus, affirmamus. Sive scripto sive coram duobus testibus monitiones peragi posse, palam deducitur ex citatis canonibus.

(1) Cfr. Schmalzgrueber, *l. c.* n. 23; Reiffenstuel, *l. c.* n. 35.
(2) Cfr. cc. 1868-1877.
(3) D'Annibale, *l. c.* n. 329; Wernz, *l. c.* n. 166.
(4) Suarez, *l. c.* sect. 8, n. 3 s.; Pirhing, *l. c.* n. 34; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 26 ss.

Articulus II.

De causis a censura excusantibus.

20. — Ignorantia (1) — Quidquid a reatu culpae gravis excusat, etiam a censura excusat, ut aperto liquet ex iis quae fuse de obiecto seu causa censurae tradidimus.

a) Ignorantia *invincibilis* sive *inculpabilis* legis aut solius poenae excusat omnino ab ea incurrenda. Ignorantiae aequiparantur *oblivio* et *inadvertentia* (2).

b) Idem dicas de ignorantia *leviter culpabili*, quia proportione caret cum poena gravi inflicta *ob contumaciam*.

c) Ignorantia *crassa* vel *supina* excusat tantum si lex habeat verba: *praesumpserit*, *ausus fuerit*, *scienter*, *studiose*, *temerarie*, *consulto egerit* aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt; quae verba si desint, praefata ignorantia reum non eximit a censuris latae sententiae incurrendis.

d) Ignorantia *affectata* (3) numquam excusat a censura, etsi lex habeat verba: *ausu temerario*, *consulto*, *scienter* etc. (can. 2229).

Ratio cur ignorantia crassa vel supina excuset, non autem, ut probabiliter iure antiquo affirmabatur (4), affectata, haec est: ignorantia crassa vel supina est *indirecte* tantum voluntaria seu in causa, cum ex negligentia graviter culpabili oriatur; e contra ignorantia affectata est *directe* voluntaria, ut docet S. Thomas (5), et proinde quin imminuat peccatum, potius illud auget, ut idem Angelicus affirmat (6), cum studiose quis eam quaerat ad liberius contra legem agendum.

(1) Suarez, disp. IV, sect. 8; Reiffenstuel, *l. c.* n. 29; Schmalzgr., *l. c.* n. 78.

(2) Suarez, disp. VI, sect. 2, n. 12; Schmalzgrueber, *l. c.*; Maschat, *l. c.* n. 20.

(3) Cfr. Maschat, *l. c.*; S. Alph., *l. c.* n. 48; Ball.-Palm., *l. c.* n. 154; Hilarius a Sexten. *l. c.* p. 27; Santi, *l. c.* p. 192; Génicot, *l. c.* n. 570.

(4) Can. 2229 diserte confirmat doctrinam eximii Suarez, qui (disp. IV, sect. 10, n. 10) ait: « Hanc ergo opinionem sic expositam *omnino veram* existimo, *neque auderem dicere, oppositum esse practice aut moraliter probabilem* ». Quocirca sententia, quae affirmat ignorantiam affectatam excusare a censura incurrenda, etsi olim vere probabilis ac practice tuta visa fuerit nonnullis Doctoribus (D'Annibale, I, 312, nota 72; Lega, *l. c.* n. 32; Noldin, *l. c.* n. 24, et aliis), hodie probabilitatem penitus amisit ex legislatoris expressa declaratione.

(5) *Summ. Theol.*, 1-2, q. 6, a. 8; q. 76, a. 3.

(6) *De malo*, q. 3, a. 8.

21. — METUS (1) — *a*) Metus *gravis* per se semper excusat a censura, eo ipso quod a lege ecclesiastica observanda eximit. Censura enim directe et primario fertur contra laesionem legis ecclesiasticae; proinde ubi quis excusatur a praecepto Ecclesiae, excusatur etiam a censura, licet forte contra legem naturalem seu divinam peccet. Hinc ex. gr. si quis metu mortis coactus confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, peccat gravissime, cum agatur de re intrinsece mala, dummodo metus voluntarium haud tollat; verum censura (can. 2363) non mulctatur, quia, stante metu gravi, cessat obligatio legis ecclesiasticae observandae, casu excepto, de quo infra.

b) Si lex contineat verba: *praesumpserit*, *sponte*, *ausus fuerit*, *temerarie consulto* et similia, metus etiam levis eximit a censura, nam haec similiave verba plenam deliberationem seu plenum liberumque voluntatis consensum exigunt (can. 2229, § 2).

c) Sicut ab incurrenda censura metus excusat in praefatis casibus, ita ab ea quoque *observanda* excusat propter eamdem rationem, scil. quia lex ecclesiastica non obligat cum gravi incommodo (2).

d) Ubi delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, metus *numquam* excusat a censuris latae sententiae (can. cit. § 3, 3°) - (3).

22. — EBRIETAS, OMISSIO DEBITAE DILIGENTIAE, MENTIS DEBILITAS, IMPETUS PASSIONIS. — Num haec a censuris excusent, necne, ita est distinguendum: si, ob imputabilitatis diminutionem, actio non sit graviter culpabilis, censura non incurritur; quod si e contra, non obstante diminutione imputabilitatis, actio graviter culpabilis adhuc maneat, censura incurritur (can. cit. § 3, 2°).

(1) Suarez, *l. c.*, sect. 3, n. 12; Reiffenstuel, *l. c.* n. 33; Pirhing, *l. c.* n. 43; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 79; Maschat, *l. c.* n. 20; Ball.-Palm., *l. c.* n. 158.

(2) Suarez, disp. VI, sect. 3, n. 3 ss.; Noldin, *l. c.* n. 23; Wernz, *l. c.* n. 158, nota 74.

(3) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 6; Schmalzgr., *l. c.*; Reiffenstuel, *l. c.* n. 34; Laymann, *Theol. Mor.*, lib. I, tract. V, cap. 5, n. 9; Pirhing, *l. c.* n. 47; S. Alph., *l. c.* n. 46.

CAPUT III.

DE CENSURAE DECLARATIONE, DENUNTIATIONE, RESERVATIONE AC DE APPELLATIONE

Articulus I.

De censurae declaratione ac denuntiatione.

23. — Declaratio. — Nonnisi censuras latae sententiae respicit declaratio. Necessaria nequaquam est, ut censuram reipsa quis incurrat, sed solum ut tamquam censuratus in foro externo habeatur et peculiares, gravissimos equidem, effectus iuridicos, relate praesertim ad iurisdictionis actus, censura secumferat (can. 2264).

Sententia declaratoria, generatim loquendo, ab eo tantum ferri potest, cuius est censuram irrogare. Nihil refert num delictum sit notorium vel occultum, dummodo certo constet illud fuisse commissum sicque reum in censuram revera incurrisse.

Praelatus ecclesiasticus non tenetur semper edere sententiam declaratoriam; pro sua prudentia, omnibus et rerum et personarum et locorum adiunctis mature consideratis, quid in Domino magis expedire iudicaverit tum ad correctionem delinquentis tum ad commune bonum, ipse decernat. Attamen duplici in casu debet sententiam declaratoriam proferre, scil.: 1° ad instantiam partis cuius interest, puta, si clericus percussus ad congruam satisfactionem obtinendam a percussore renuente, petat ut Superior ecclesiasticus declaret eum esse censuratum; 2° bono publico ita exigente, v.-gr. ad scandalum reparandum (can. 2223, § 4).

Declaratio proferri potest sive per iudicialem sententiam, sive non; in priori casu, servanda sunt omnia quae ex canonum praescriptis requiruntur ad iudicialis sententiae pronuntiationem; in altero casu, i. e. cum censura infligitur ad modum praecepti particularis, scripto aut coram duobus testibus *ordinarie* emittatur (can. 2225). Vox *ordinarie* significat hunc modum non esse taxative ac unice praescriptum, sed prudenti Superioris iudicio remitti, num velit alio modo procedere, si peculiaria adiuncta aut necessitas aliud exigant.

In censura declaranda Praelatus semper indicare debet causam seu delictum.

24. — Censura latae sententiae reum, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto tenet sive in foro interno sive etiam in foro externo; tamen ante sententiam declaratoriam a censura observanda excusatur delinquens quoties eam servare nequit sine infamia, et in foro externo nemo potest ab eo exigere eiusdem censurae observantiam, nisi delictum sit notorium (can. 2232, § 1). Id vero non vetat quominus ad urgendam censurae observantiam edi possit et aliquando debeat eius declaratio, ut supra diximus (n. 23).

Sententia declaratoria poenam ad momentum commissi delicti retrotrahit (can. cit. § 2), seu quis habendus est tamquam censuratus non ab eo momento quo sententia lata est, sed ab eo momento quo delictum fuit patratum. Quod praesertim attendendum est relate ad effectus censurae.

25. — Denuntiatio. — Quidam auctores confundunt denuntiationem censurae cum eiusdem declaratione; at immerito omnino. Nam, ut egregie notat clariss. Suarez (1), « censuram iure incursam non debet sequi denunciatio nisi post sententiam declaratoriam ». Denunciatio est publicatio censurae, seu actus, ad perfectam et consummatam solemnitatem in forma censurae servandam, quo censura incursa per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam *publici iuris* fit vel affixione ad fores Ecclesiae vel insertione in officiali Diario aut alio modo pro temporum ac locorum adiunctis. « Duplex ratio redditur huius publicationis, ait Suarez (2). Prima *ut ipsis excommunicatis ubique occludatur aditus ecclesiasticus*. Secunda, *ut excusationis causa omnibus auferatur*. » Non est necessaria ad validitatem censurae, et remittitur prudentiae Praelati vel iudicis. In praxi eo ipso quod sententia censurae, condemnatoria vel declaratoria, *publicatur* servatis servandis, habetur etiam denuntiatio; quae, ut palam est, tantum a iudice competente vel ipsius nomine aut mandato fieri potest (3).

Articulus II.

De censurae reservatione ac de appellatione.

26. — Reservatio. — Reservatio generatim est restrictio seu limitatio iurisdictionis; in casu nostro, est actus quo Superior, dempta inferioribus potestate, sibi uni vindicat ius relaxandi per se

(1) *Op. cit.* disp. III, sect. 14, n. 6.
(2) *Loc. cit.* n. 1.
(3) Cfr. Suarez, *l. c.*; Wernz, *l. c.* n. 169.

vel per delegatum censurae vinculum, hoc est ab ea absolvendi. Ex ipsa censurae notione patet omnem et solum Praelatum, qui censuras infligere potest, ius eas reservandi habere.

1° Censura latae sententiae non est reservata, nisi in lege vel praecepto id *expresse* dicatur (can. 2245, § 4); proinde si disertis verbis iudex seu Praelatus ecclesiasticus non edixerit censuram esse reservatam, reservatio non habetur, etsi forte alia fuerit Superioris intentio.

2° In dubio sive iuris (puta si dubitetur num censura afficiat etiam percutientem sorores alicuius congregationis nondum approbatae saltem ab Episcopo), sive facti (puta si quis dubitet num revera percusserit aut ex inadvertentia id egerit) reservatio non urget (can. cit.). Hinc necessaria non est absolutio *ad cautelam*. Quod valet etsi *postea* (nota verbum) de facto constiterit.

3° Censura non est reservanda, nisi peculiaria motiva id postulent, scil. vel propter specialem delicti gravitatem vel ob necessitatem aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientiis fidelium (can. 2246, § 1), praesertim si delictum sit notorium et ex eo scandalum aliudve damnum publicum ortum fuerit.

4° Reservatio strictam recipit interpretationem (can. cit. § 2), quia agitur de re suapte natura odiosa; atqui, iuxta vulgatum adagium, *odia sunt restringenda;* proinde non licet reservationem extendere de persona ad personam vel de casu ad casum, quamvis par adsit ratio, imo gravior: et ubi plures sint doctorum sententiae, in praxi benignior est amplectenda.

5° Si censura non est reservata, nec peccatum est reservatum; quod si censura sit reservata, videndum est num ipsa prohibeat receptionem Sacramentorum, necne. Si arcet a Sacramentis recipiendis, ut excommunicatio, eo ipso quod censura est reservata, etiam peccatum cui censura est adnexa, manet reservatum; si non impedit Sacramentorum receptionem, ut suspensio, peccatum non est reservatum. Ex quo patet reservationem *directe* et *immediate* afficere censuram, et nonnisi *indirecte* et *mediate* peccatum; hinc si quis excusatur a censura, v. gr. ob levitatem materiae aut imperfectionem actus vel ignorantiam aut metum, peccatum non est reservatum; item si quis fuit a censura absolutus, peccati reservatio penitus cessat, ita ut quilibet confessarius tunc possit eum absolvere (can. cit. § 3).

Id vero non solum quoad casus papales, ut antea, valet, verum etiam quoad casus episcopales; ideoque controversiae finis datus est (1).

(1) Cfr. S. Alph. lib. VI, n. 581; Ball.-Palm., V, n. 725 s.; D'Annibale, I, n. 338; Génicot, *l. c.* n. 344, V.

6° Si delictum aliquod mulctatum sit censura Sedi Apostolicae reservata, Episcopus aliusve Praelatus nequit in idem delictum aliam censuram sibi reservatam ferre (can. 2247, § 1); quod locum non habet si censura irrogata fuerit a legato Sedis Apostolicae aut eidem S. Sedi non sit reservata.

7° Reservatio censurae *a iure*, latae scil. per legem vel generale praeceptum in particulari territorio, extra fines illius territorii vim suam non exserit, licet censuratus praecise ad obtinendam absolutionem e territorio egrediatur. Hoc generatim valet relate ad censuras *a iure* inflictas ab omnibus Praelatis, Papa inferioribus, exceptis Praelatis regularibus, quorum iurisdictio in sodales suos potissimum personalis est (can. cit. § 2). Proinde si v. gr. incestus puniatur in aliqua dioecesi censura Ordinario reservata, reus potest aliam dioecesim petere in eaque valide et licite absolvi.

Idem principium locum habet etiam quoad peccatorum reservationem (can. 900, 3°). Quam sapientissime haec constituta sint, sive ut fidelium conscientiae consulatur sive ut dubiis et quaestionibus variis finis detur, nemo est qui non videat.

Censura *ab homine*, e contra, est ubique locorum reservata, cum ipsam personam directe ac immediate afficiat eamque sequatur quocumque, extra proprium territorium, divertat. Hinc censura *ab homine* mulctatus nullibi potest absolvi sine debitis facultatibus (can. 2247, § 2). Quaenam sint huiusmodi facultates, dicetur in subsequenti articulo.

8° Si confessarius bona fide seu ignorans reservationem (vel inadvertenter), poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata (can. cit. § 3) - (1). Quod si confessarius, cognita reservatione, audeat nihilominus absolutionem censurae impertire sine debita facultate, invalide absolvit; imo, si agitur de excommunicatione latae sententiae specialissimo modo vel speciali modo reservata Apostolicae Sedi, incurrit ipso facto in excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam (can. 2338, § 1).

27. — Appellatio vel recursus (2). — Appellatio, quod valet etiam de recursu, fieri potest vel in suspensivo vel in devolutivo,

(1) Si quaeras num valeat in casu etiam absolutio a peccato cui censura est adnexa, affirmative respondemus, modo poenitens necessarias praeseferat animi dispositiones.

(2) Cfr. Suarez, disp. III, sect. 16; Bonacina, *l. c.* quaest. II, punct. II; Bucceroni, *l. c.* n. 35; Génicot, *l. c.* n. 571, V.

prout effectus seu exsecutio sententiae, si agitur de appellatione stricte sumpta, aut exsecutio praecepti, si de recursu agitur, suspendatur, necne.

A censuris latae sententiae inflictis per sententiam iudicialem, non datur appellatio nisi in devolutivo; item a censuris latae sententiae inflictis ad modum praecepti datur tantum recursus in devolutivo (can. 2243, § 1).

Si autem iudicialis sententia vel praeceptum non infligat censuram, sed tantum eam comminetur, licet ipso facto incurrendam, datur quidem appellatio aut recursus, attamen, num in devolutivo vel in suspensivo, ita est distinguendum: si agitur de re in qua lex non admittit appellationem vel recursum etiam cum effectu suspensivo, appellatio vel recursus nec sententiam aut praeceptum nec censuras incurrendas suspendit; si e contra agitur de re in qua ius admittit appellationem vel recursum cum effectu suspensivo, appellatio aut recursus suspendunt censuras; firma tamen manet obligatio servandi id quod sententia vel praecepto mandatur, nisi reus appellationem aut recursum interposuerit non solum a censura, sed ab ipsa quoque sententia vel praecepto (can. cit. § 2).

CAPUT IV.

DE CENSURAE ABSOLUTIONE

Articulus I.

De censurae absolutione in genere.

28. — Quomodo censura cesset seu tollatur (1). — Censura non cessat morte auctoris, quia ex iuris dispositione, semel inflicta seu contracta, durat donec legitime tollatur; nec, saltem perfecte ac totaliter, cessat morte censurati, nam ecclesiastica poena non solum censuratum afficit, sed ratione aliqua ipsos fideles, quibus imponitur obligatio abstinendi a certis actionibus; haec autem obli-

(1) Suarez, disp. VII sect. 1 ss.; Reiffenst., *l. c.* n. 242; Engel, *l. c.* n. 114; Pirhing, *l. c.* n. 143; Schmalzgrueber, *l. c.* n. 85 ss.; Bonacina, *l. c.* q. III; Devoti, *l. c.* tit. XXI; D'Annibale, *l. c.* n. 344 ss.; Ball.-Palm. *l. c.* n. 202 ss.; Hilarius a Sexten, *l. c.* p. 34; Santi, *l. c.* p. 195; Lega, *l. c.* n. 119 ss.; Wernz, *l. c.* n. 173.

gatio fidelibus imposita, praesertim quoad sepulturam, non tollitur morte censurati. Neque cessat censura, dummodo ne conditionate sit lata, sola emendatione et satisfactione rei, cum emendatio et satisfactio sit tantum ratio, propter quam censura a iudice competente possit ac debeat tolli, sed non sufficit, ut cesset ipso facto.

Censura ecclesiastica irrogata sive ipso iure sive per sententiam iudicialem nonnisi *absolutione* tolli potest. Hinc can. 2248, § 1 statuit: « Quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione ».

Si forte censura lata sit per particulare praeceptum sine scripto et sine testibus (cfr. n. 17), ex. gr. oretenus, quaeri potest an, cessante praecepto, cesset ipsamet censura; nam ex can. 24 praecepta particularia, i. e. singulis data, cessant resoluto iure praecipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint. Ita distinguendum: vel censura est iam incursa vel non. Si nondum est incursa, cessante praecepto ob resolutionem iuris praecipientis, cessat et ipsa censura, sive latae sit sive ferendae sententiae, quoad actus futuros; si e contra sit iam incursa, cessante praecepto, non cessat, cum effectus, etiam post cessationem causae, perseveret.

29. — Regulae absolutionem censurae respicientes. — 1° Ubi primum censuratus a contumacia recesserit, seu patrati delicti eum vere poenituerit et simul congruam satisfactionem pro damnis et scandalo ipse dederit aut saltem serio promiserit, absolutio nequit denegari; attamen absolvens a censura potest, si res ferat, hoc est si bonum ipsius delinquentis et praesertim communitatis postulet, infligere congruam poenam vindicativam vel poenitentiam pro commisso delicto (can. cit. § 2).

2° Censura, per absolutionem sublata, numquam reviviscit, excepto casu quo onus impositum sub poena reincidentiae non fuerit impletum (can. cit. § 3).

3° Si quis pluribus censuris detinetur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis (can. 2249, § 1), quia singulae censurae quoddam speciale ac distinctum vinculum ex Ecclesiae auctoritate inducunt, ita ut nihil impediat quominus vinculum unum, alio remanente, relaxetur. Ex quo patet discrimen inter absolutionem a peccatis et absolutionem a censuris.

4° Qui petit absolutionem, debet omnes casus censurae obnoxios indicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso, et quidem absolutio pro casu expresso valet etiamsi mala fide id actum fuerit; quod si absolutio fuerit generalis seu pro omnibus casibus concessa, licet particularis petitio facta sit seu dumtaxat pro uno alterove casu, valet etiam pro reticitis bona fide, excepta

tamen censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide (can. cit. § 2) - (1).

5° Si agatur de censura quae non impedit Sacramentorum receptionem, censuratus, v. gr. clericus suspensus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi valide liciteque a peccatis, quin absolvatur a censura (can. 2250, § 1).

Si vero agatur de censura quae impedit Sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit (can. cit. § 2). Id tamen non ad validitatem absolutionis, sed tantum ad liceitatem praescribitur, dummodo ne desint ex parte poenitentis requisitae dispositiones.

6° Absolutio censurae potest dari sive in foro sacramentali sive in foro non sacramentali (2); et praeterea, ad forum non sacramentale quod attinet, sive in foro interno sive in foro externo, cum neminem lateat, forum non sacramentale in internum et externum dividi (cfr. can. 196).

Absolutio censurae in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta (3); in foro non sacramentali tum interno tum externo, quolibet modo dari potest absolutio; verum quoad absolutionem excommunicationis regulariter formam adhiberi convenit, quae in praefatis libris ritualibus habetur (4) - (can. cit. § 3). Idem Rituale exhibet

(1) Quapropter censura specialissimo modo R. P. reservata, sive bona sive mala fide reticita, non tollitur per generalem absolutionem, cum expresse indicari debeat et particulari indigeat absolutione.

(2) « § 1. Actus potestatis iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae collatae pro foro externo, valet quoque pro interno, non autem e converso.

« § 2. Potestas collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro extrasacramentali, nisi sacramentale exigatur.

« § 3. Si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet » (can. 202).

Hinc si quis absolvat vi rescripti pontificii seu facultatis a Superiore obtentae, necesse est ut sedulo attendantur verba quibus concessa facultas exprimitur.

(3) *Rit. Rom.* tit. III, cap. 2, n. 2.

(4) *Rit. Rom.* tit. III, cap. 3; cfr. etiam *Pontificale Romanum*, P. III *Ordo excommunicandi et absolvendi*.

Pro foro *interno* etiam non sacramentali, forma regulariter adhibeatur, quae adhiberi solet pro peccatorum absolutione: i. e. *Misereatur tui*, etc.

Pro foro *externo*, hanc Rituale exhibet formam: « Dominus noster I. C. te absolvat et ego auctoritate Ipsius, et sanctissimi D. N. Papae N. (aut rev.mi Episcopi N., vel talis Superioris) mihi concessa, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi (propter tale factum, vel causam etc.) et restituo te communioni et unitati fidelium, et sanctis Sacramentis Ecclesiae. *In nomine Patris*, etc. » (tit. III, cap. 3).

etiam (1) formam absolvendi a suspensione vel ab interdicto extra vel intra sacramentum confessionis (2).

7° Absolutio data in foro externo, valet pro utroque foro; data in interno, valet plene et absolute pro foro interno et etiam, licet non plene et absolute, pro foro externo, quatenus sic absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere in actibus fori externi; at, nisi concessio absolutionis probetur, puta per schedulam confessarii de audita confessione aliove modo, aut saltem legitime praesumatur in foro externo, v. gr. e rerum vel personae adiunctis, Superiores fori externi, quibus reus parere debet, possunt urgere censuram, hoc est exigere ut delinquens se habeat tamquam censuratum, donec obtinuerit absolutionem in foro externo (can. 2251).

30. — Conditiones requisitae ad absolvendum. — 1° Ad *validitatem* absolutionis non requiritur determinata forma (3). Sufficit manifestatio voluntatis quovis modo facta, scripto aut verbis vel signis, ita ut de ablatione vinculi censurae constare possit (4). Nec requiritur praesentia aut consensus censurati, cum invitus etiam et absens absolvi queat (5).

2° Attamen ad *liceitatem* absolutionis necesse est, nisi iusta causa forte excuset, ut *praesenti* ac *petenti* absolutio detur (6).

Quaerunt theologi, an sub gravi vel sub levi adhibenda sit forma Ritualis aut Pontificalis. Ad normam can. 2250, § 3, distinguendum est: in foro sacramentali, saltem sub levi absolutio censurae dari debet iuxta consuetam formam absolutionis peccatorum; in foro non sacramentali, tam interno quam externo, procul dubio expedit, praesertim quoad absolutionem excommunicationis, ut forma adhibeatur quae in libris ritualibus traditur, at ne sub levi

(1) De modo absolvendi a suspensione vel ab interdicto, extra vel intra sacramentalem confessionem, Rituale hanc formam tradit (tit. III, cap. 5): « Poenitens dicat: *Confiteor Deo omnipotenti* etc. Sacerdos: *Misereatur tui* etc. *Indulgentiam* etc. Auctoritate mihi ab N. tradita, ego absolvo te a vinculo suspensionis (vel interdicti), quam (vel quod) propter tale factum (vel causam) incurristi (seu incurrisse declaratus es), in nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen ».

(2) Si *tempus urgeat*, sufficit brevis formula: « Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen » (tit. III, cap. 2, n. 5).

(3) Suarez, disp. IX, sect. 9, n. 12 s.; Pirhing, *l. c.* n. 61; Schmalzgr., *l. c.* n. 98.

(4) Schmalzgr., *l. c.*; Devoti, *l. c.* n. 2; Lega, *l. c.* n. 103 ss.

(5) Suarez, *l. c.* sect. 7, n. 4 ss.; Schmalzgr., *l. c.* n. 102; S. Alph., *l. c.* n. 131; D'Annibale, *l. c.*

(6) Suarez, *l. c.*; Ball.-Palm., *l. c.* n. 257.

quidem id praecipi opinamur, verbis praefati canonis mature perpensis.

3° Censuratus absolvi debet « *iniunctis de iure iniungendis* » (1). Quae verba significant haec speciatim ipsi esse iniungenda (S. Poenit. 10 dec. 1860), scil. : *a) ut satisfaciat parti laesae*, si forte ius alienum violatum fuerit, per restitutionem aut veniae petitionem etc., vel si nequeat statim satisfacere, ut serio promittat se esse satisfacturum, cum primum poterit, nisi pars laesa iniuriam condonaverit; *b) ut scandalum reparet*, si quod fuerit datum, meliore, quo fieri potest, modo, iuxta prudens absolventis iudicium; quod ipsamet naturae lex omnino praecipit; *c)* ut, praeter sacramentalem satisfactionem, *salutaris poenitentia imponatur* pro delicti gravitate (2).

(1) Noldin, *l. c.* n. 30; Wernz, *l. c.* n. 176.

(2) Expedit ut petitio absolutionis fiat personaliter a censurato; tamen non prohibetur fieri per procuratorem speciali mandato munitum.

Absolutio data a Praelato ordinario, non praestita satisfactione, quamvis sit *per se* illicita, valida tamen est; imo etiam data a delegato, nisi manifesto constet, satisfactionem aut saltem eiusdem cautionem fuisse delegationi appositam tamquam conditionem sine qua non. Suarez, disp. VII, sect. 5, n. 43; Pirhing, *l. c.* n. 163; Schmalzgr., *l. c.* n. 101; Ball.-Palm., *l. c.* n. 269 ss. Dari potest absolutio sub conditione, et quidem sive de praeterito aut de praesenti, sive etiam de futuro, ita ut ea conditione deficiente ipsa censurae absolutio corruat omnino. At palam est, huiusmodi modum *conditionatum* absolvendi, utpote plurimis incommodis obnoxium, ab usu Ecclesiae esse alienum. Cfr. Suarez, *l. c.*, sect. 8, n. 5 ss.; Pirhing, *l. c.* n. 166; Schmalzgr., *l. c.* n. 1103; S. Alph., lib. VII, n. 123. Habetur praeterea absolutio *ad cautelam*, qua cavetur damnum, quod ex ignorata vel dubia censura ipsi censurato aut aliis provenire potest. Suarez, *l. c.* n. 104; Devoti, *l. c.* n. 5; Ball.-Palm., *l. c.* n. 311· Wernz, *l. c.* n. 177. Haec absolutio, ubi agitur de dubio sive iuris sive facti, non est amplius necessaria (can. 2245, § 4).

Absolutio *ad reincidentiam* adest cum quis vere a censurae vinculo liberatur, ita tamen ut in eamdem specie censuram incidat si opus sub censura praeceptum non exsequatur. Licet sit eadem specie, nihilominus est nova numero censura, quae proinde novam culpam gravem postulat cum contumacia coniunctam, omissione operis iniuncti admissam. Haec reincidentia sive a iure sive ab homine est. Suarez, *l. c.* n. 10; Schmalzgr., *l. c.* n. 105; Devoti, *l. c.* n. 6.

De reincidentia expresse loquitur can. 2254, §§ 1, 3.

Articulus II.

Quinam possint absolvere a censuris.

31. — I. Extra mortis periculum. *a*) Quilibet confessarius potest absolvere a censura *non reservata*, at in foro sacramentali tantum, non, ut antea, in foro conscientiae sive sacramentali sive non sacramentali; extra forum sacramentale, possunt absolvere omnes qui iurisdictionem in foro externo habent in censuratum.

b) A censura *ab homine* absolvere potest qui eam inflixit, aut sententiam tulit, eius Superior, vel successor, aut delegatus ab alterutro; et quidem etiamsi delinquens alio domicilium aut quasi-domicilium transtulerit. Hinc, ex. gr., si Titius, clericus, excommunicatus fuerit a proprio Episcopo per iudicialem sententiam aut particulare praeceptum, et dein, relicta sua dioecesi A., in dioecesim B. contenderit ibique sibi elegerit domicilium, censurae absolutio danda est ab Episcopo dioecesis A.

c) « A censura a iure reservata, ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario*, quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; a reservata *Sedi Apostolicae*, haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive generalem, si censura *simpliciter reservata* sit, sive specialem, si *reservata speciali modo*, sive denique specialissimam, si *reservata specialissimo modo* » (can. cit.).

In specie vero absolvere possunt:

1° *R. Pontifex*, tum per se (S. Poenit.) tum per suos delegatos, ab omnibus censuris sive a iure sive ab homine, quocumque modo reservatis.

2° *Cardinales* a quibuslibet censuris, exceptis tantum iis quae Sedi Apostolicae specialissimo modo sunt reservatae et illis quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii; quam facultatem tribuere valent sacerdoti sibi suisque familiaribus electo confessionibus excipiendis (can. 239, § 1, 1°, 2°).

3° *Episcopi* absolvere possunt per se vel per alios, nedum a censuris Ordinario reservatis a iure, vero etiam in casibus *occultis* a censuris *simpliciter* reservatis Sedi Apostolicae (can. 2237, § 2) - (1); non autem in casibus *publicis*.

(1) Concilium Trid. celebri capite *Liceat* (Sess. XXIV, cap. 6 *de reform.*) tribuerat Episcopis facultatem absolvendi quoscumque sibi subditos a censuris

Praeterea facultate gaudent sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtinet, *etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos* (cc. 239, § 1, 2, 349, § 1, 1°) - (1).

4° *Abbates et Praelati « nullius »*, de quibus can. 319, eadem, qua pollent Episcopi, fruuntur potestate; tamen non possunt sibi suisque familiaribus eligere sacerdotem confessionibus excipiendis, nisi sint charactere episcopali insigniti.

5° Idem dicas de *Vicario Generali, Vicario Capitulari, Administratore, Vicario* et *Praefecto Apostolico*, qui in iure nomine Ordinariorum veniunt (can. 198, § 1).

6° *Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis* (cfr. can. 488, 2°, 4°, 8°), non vero alii Praelati regulares, *subditos suos* (2) a censuris Ordinario reservatis a iure, per se vel per alios, absolvere possunt, et etiam a censuris *simpliciter* Apostolicae Sedi reservatis, *in casibus occultis*. Ipsi enim iique soli nomine *Ordinariorum* in iure intelliguntur (can. 198, § 1) - (3).

7° Vi delegatae potestatis a Sede Apostolica obtentae, Episcopus et Praelatus regularis aliique, pro maiore aut minore am-

etiam Sedi Apostolicae reservatis, sed in casibus tantum occultis et in foro conscientiae; quae facultas ad casus simpliciter reservatos per Const. « *Apost. Sedis* » restricta fuit.

(1) Haec facultas competit quoque Episcopis *titularibus* (can. 349, § 1, n. 1°), non item facultas absolvendi in casibus occultis R. P. simpliciter reservatis, quia nomine Ordinariorum in iure veniunt solum Episcopi *residentiales* (can. 198, § 1). Potestas his concessa absolvendi in praefatis casibus occultis, iure antiquo exerceri permittebatur tantum *in foro conscientiae, in subditos dumtaxat suos, et in propria dioecesi* (cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 6 *de reform.*; D'Annibale, I, nn. 315, 340). Iure novo hisce limitibus haud circumscribitur memorata potestas, imo (can. 2253, 3°) expresse dicitur Ordinarius loci « etiam peregrinos » posse absolvere; et non solum in foro sacramentali hanc potestatem exercere potest, sed etiam, aliter ac antea (cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 340), in foro extra-sacramentali.

(2) Ratio, quia ex can. 108, § 1, « *pro suis subditis* » dumtaxat Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis habentur tamquam *Ordinarii*; porro iisdem, praecise *qua Ordinariis*, competit absolvendi facultas (cc. 2237, § 2, 2253, n. 3°). Ex iure particulari seu ex privilegiis ampliores facultates habere solent Praelati regulares.

(3) Per Const. « *Apost. Sedis* » dempta fuerat Praelatis regularibus facultas, qua vi privilegiorum, praesertim vi Brevis S. Pii V « *Romani Pontificis* » 21 iul. 1571, gaudebant, absolvendi a casibus sive speciali modo sive simpliciter Sedi Apostolicae reservatis (*S. Poenit. 5 dec. 1873; S. O. 22 Mart. 1881*). Cfr. S. Alph. I, App. II. *De privilegiis*, cap. V; Ball.-Palm., V, n. 772 ss., VII, n. 251; Bucceroni, *l. c.* n. 45 s.; Génicot, VI, n. 576, VII; Lehmkuhl, II, n. 1123; Noldin, *l. c.* n. 29, 2.

plitudine, possunt etiam a ceteris casibus absolvere. Qua in re proinde potestas eisdem concessa a S. Sede est naviter attendenda, scil. num sit *generalis* vel *specialis* aut *specialissima*. Prior enim tribuit facultatem absolvendi tantum a censuris *simpliciter* reservatis; altera absolvendi etiam a censuris *speciali modo* reservatis; tertia demum, quae perquam raro conceditur, a censuris *specialissimo modo* reservatis.

II. In periculo mortis (cfr. cc. 882, 2252). Quilibet sacerdos, etiam non approbatus ad confessiones excipiendas, potest valide et licite absolvere ab omnibus peccatis et censuris (1). Qui ita fuerit absolutus, num debeat, ubi convaluerit, recurrere, necne, distinguendum est: si absolutus fuit a censura *ab homine*, tenetur sub poena reincidentiae recurrere ad illum qui censuram tulit, vel ad eius Superiorem competentem, vel ad successorem aut delegatum; si absolutus fuit a censura *a iure* reservata *specialissimo modo* S. Sedi, debet, item sub poena reincidentiae, recurrere ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum, si facultatem delegatam habeat, aut ad alium quemcumque facultate praeditum. In utroque casu obligatio recursus secumfert, uti manifestum est, strictam etiam obligationem parendi mandatis illius ad quem recurritur. Si fuit absolutus nedum a censura *Episcopo* vel *Ordinario* reservata, sed a censura quoque Sedi Apostolicae *simpliciter* aut *speciali modo* reservata, non datur, ut antea, obligatio recurrendi et standi mandatis Superioris.

III. In casibus urgentioribus. — « § 1. In casibus urgentioribus (2), si nempe censurae latae sententiae exterius servari ne-

(1) Periculum mortis significat « illud rerum discrimen, in quo cum quis constitutus est, ipsam, et superesse, et occumbere posse, utrumque est vere graviterque probabile; sive periculum immineat *ab intrinseco*, ut puta ex morbo, vulnere inflicto, partu difficili, extrema senecta; sive *ab extrinseco* immineat, velut ex bello, navigatione periculosa etc. Hoc amplius: si quis versetur in periculo incidendi in perpetuam amentiam, perinde habetur ac si versaretur in periculo mortis ». Ita clariss. D'Annibale (*l. c.* n. 38), cuius doctrinam ultro amplectimur nostramque facimus. Cfr. etiam S. Alph. lib. VI, n. 561; Ball.-Palm., V, n. 590.

(2) Ut praescripta huius canonis recte intelligantur, quisque ante oculos habeat varia responsa S. Officii hac de re edita, scil. 23 iun. 1886 (cfr. etiam resp. S. Poenit. 7 novembris 1887), 17 iun. 1891, 16 iun. 1897, 9 nov. 1898, 5 septembris 1900, 19 dec. 1900.

Veterum theologorum doctrina (cfr. S. Alph., lib. VII, n. 84; Suarez, *De Poenit.* D. 30, s. 3, n. 8) de impedimento perpetuo, diuturno et brevi, immutata plane est nedum quoad casus papales, ut omnes fatentur, verum etiam, ut indubitanter putamus, quoad episcopales, sive ob eadem iuris principia sive ob disciplinae uniformitatem in Ecclesia habendam.

queant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit (1) poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius (2) in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis (3) absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae (4), intra mensem (5) saltem per epistolam (6) et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam (7) vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis.

« § 2. Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione (8) saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus (9).

(1) Casus spectandus est subiective; attamen non est facile habendus tamquam universis poenitentibus communis, secus de ipsa lege actum esset. Controvertitur num unus vel alter dies sufficiat. Variae circumstantiae et praesertim animi dispositiones poenitentis considerandae sunt. Generatim hebdomadam unam, quin et tres quatuorve dies sufficere opinamur, saltem in nonnullis casibus. Porro id, nostra sententia, certe valet etiam pro absolutione a casibus episcopalibus quos nempe Episcopi pro sua quisque dioecesi sibi reservaverint.

(2) Absolutio est *directa* (S. O. 19 aug. 1891, 30 mart. 1892).

(3) Confessarius absolvere potest etiam a censuris *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatis.

(4) Sub gravi *per se* tenetur confessarius onus recurrendi imponere, et quidem sub poena reincidentiae. Non convenit inter Doctores num reincidentia sit a iure vel ab homine. Cfr. Lega, *op. cit.* III, n. 130. Ex verbis canonis remur esse *a iure.*

Reincidentia intelligenda est in eamdem *specifice* censuram.

(5) Mensis computandus est a die absolutionis, vel a die qua innotuerit poenitenti haec obligatio.

(6) Poenitens, quin recurrat per confessarium, potest etiam si velit, per se ipse immediate recurrere aut coram Superiore ecclesiastico sistere. Confessarius, nisi iusta causa excusetur, *debet* recurrendi obligationi satisfacere.

(7) Epistola ad S. Poenitentiariam quovis idiomate conscripta mitti potest. Ad modum autem quod attinet et rationem scribendi, cfr. Bouix, *De Curia Romana* (Parisiis, 1880), pag. 241; Cappello, *De Curia Romana* (Romae, 1912, 1913), vol. I, p. 359.

(8) Dicitur *repetita confessione saltem delicti cum censura,* quia ex una parte confessarius nequit absolvere et congrua mandata poenitenti tradere, nisi cognoscat rem de qua agitur, seu peccatum cui censura est adnexa, et ex alia parte necesse non est ut confessio omnium peccatorum repetatur, cum *directe* iam sint remissa peccata vi absolutionis prius datae.

(9) Hinc finem obtinuit controversia iure antiquo inter Doctores agitata.

« § 3. Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter (1) impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu (2) quo agatur de absolutione censurae, de qua in can. 2367, potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, iniunctis (3) tamen de iure iniungendis, et imposita congrua (4) poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat (5) in censuram » (can. 2254).

(1) Dicitur *moraliter impossibilis*, si neque confessarius neque poenitens scribere possit, atque poenitenti durum sit recurrere ad alium confessarium (S. O. 9 nov. 1898); item si poenitens nesciat scribere, confessarius vero, etsi scribere possit, poenitentem tamen non sit amplius visurus, ut responsionem ei tradat (S. O. 6 sept. 1900).

(2) Excepto casu de absolutione complicis in peccato turpi, ut iam declaraverat S. O. 7 iun. 1899.

(3) Confessarius ea iniungere debet quae requiruntur a iure, tum naturali tum positivo. Praecipua haec sunt, scil. quod poenitens prius, ubi opus sit, scandalum reparaverit, quod parti laesae satisfecerit, vel, si nequeat, cautionem idoneam praestiterit, aut saltem se satisfacturum serio promiserit.

(4) Praeter sacramentalem, alia poenitentia seu satisfactio pro delicti censurae obnoxii gravitate est imponenda. Cfr. responsum S. Poenit. 8 apr. 1890.

(5) Recole quae supra dicta fuere de reincidentiae poena.

PARS II.

DE CENSURIS IN SPECIE

—

CAPUT I.

DE EXCOMMUNICATIONE IN GENERE

Articulus I.

De excommunicationis natura.

32. — Notio. — Excommunicatio est « *censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus, qui sequuntur, enumerantur, quique separari nequeunt* » (can. 2257, § 1) - (1).

Excommunicatio, aliter ac suspensio, est semper poena medicinalis, non autem vindicativa, cum principaliter infligatur ad rei emendationem. Suapte natura, ex iure Ecclesiae, importat, ipsa voce significante, delinquentis exclusionem a communione fidelium, quae exclusio ita est propria ac necessaria ut in ea praecise sit reponenda excommunicationis notio. Porro alia est communio fidelium et alia communio Sanctorum. Prior consistit in vinculo unionis inter membra et corpus mysticum Christi seu Ecclesiam et, consequenter, in participatione omnium bonorum quae D. N. I. C. Ecclesiae administrationi concredidit. Haec communio subdividitur in externam et internam. Ad externam spectat participatio Sacramentorum, officiorum et sepulturae ecclesiasticae (2); ad inter-

(1) Suarez, disp. VIII, sect. 1, n. 1 ss.; Engel, *l. c.* n. 27; Pirhing, *l. c.* n. 4; Reiffenst., *l. c.* n. 47; Schmalzgr., *l. c.* n. 112 ss.; Maschat, *l. c.* n. 27; Devoti, *l. c.* tit. XVIII, n. 4 ss.; S. Alph., *l. c.* n. 133; Ball.-Palm., *l. c.* n. 329 ss.; D'Annibale, *l. c.* n. 354; Hilarius a Sexten, *l. c.*, p. 48.

(2) Ad huiusmodi communionem externam spectat etiam communio *in humanis*, quam civilem et politicam alii vocant, quaeque in actionibus externis ad humanam societatem pertinentibus consistit. Cum agatur de subditis fidelibus, quorum communio *in humanis* ordinari possit ad finem spiritualem,

nam pertinet participatio fructuum ex sacrificio Missae, ex indulgentiis et ex publicis Ecclesiae precibus (1). Communio Sanctorum, idest iustorum, fundatur in fide et caritate; quibus singuli, velut unius corporis membra, Christo, quasi capiti, coniunguntur, ac ideo bona cuiusque opera omnibus communicantur (2).

Excommunicatio non adimit *habilitatem* et *potentiam* utendi communione Ecclesiae, eo ipso quod non tollitur character baptismalis, in quo illa habilitas consistit, sed tantum *usu* communionis fidelium proxime privat iureque ad licitum usum eiusdem communionis.

Ex ipsa exclusione a communione fidelium quidam effectus, singuli infra recensendi, necessario sequuntur, qui arbitrio Praelati ecclesiastici nec separari nec restringi aut extendi possunt. Quod expresse indicant postrema definitionis verba.

Excommunicatio « dicitur quoque *anathema*, praesertim si cum sollemnitatibus infligatur quae in Pontificali Romano describuntur » (can. cit. § 2) - (3).

33. — Excommunicati vitandi et tolerati. — Excommunicati alii sunt *vitandi*, alii *tolerati*. « Nemo est vitandus nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere, salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1 » (can. 2258).

Maximum datur discrimen inter antiquum et novum ius hac in re (4). Ut quis sit *vitandus* ex praescripto can. cit. quatuor requi-

dubitandum non est quin eadem sub Ecclesiae prohibitionem cadere queat. Cfr. Reiffenst., *l. c.* n. 73; Schmalzgr., *l. c.* n. 167.

(1) Ecclesia nec privat nec privare potest bonis mere internis, quae profluunt ex Dei miseratione immediate, nempe gratiis et virtutibus, neque iis quae pertinent ad communionem Sanctorum. Suarez, *l. c.*; Reiffenst., *l. c.* n. 58; Schmalzgr., *l. c.* n. 114; Devoti, *l. c.* n. 9.

(2) Suarez, disp. IX, sect. 3, n. 5; Reiffenst., *l. c.* n. 54; Schmalzgr., *l. c.* n. 126 ss.; D'Annibale, *l. c.* n. 108, nota 2.

(3) Ad *anathema* quod attinet, cfr. Suarez, disp. VIII, sect. 2, n. 4; Schmalzgr., *l. c.* n. 117; Devoti, *l. c.* n. 6. Vox *Maranatha*, quae occurrit in legibus ecclesiasticis (cfr. c. 30, C. XXIII), refertur ad tempus futurum et significat « *donec Dominus redeat* ». Novam poenam anathemati nequaquam addit, sed solum extrinsecam sollemnitatem auget, nec tanto rigore, ut non pauci scriptores opinati sunt, est intelligenda, quasi quis absolute et sine ulla spe reconciliationis sit ab Ecclesia exinde separatus. Suarez, *l. c.*, sect. 2, n. 7; Benedict. XIV, *De Synod. dioec.*, lib. X, cap. 1, n. 7; Wernz, *l. c.* n. 179.

(4) Ad antiquum ius quod spectat, cfr. Suarez, *l. c.*; Pirhing, *l. c.* n. 113; Reiffenst., *l. c.* n. 135 s.; Schmalzgr., *l. c.* n. 121 ss.; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1128; Noldin, *l. c.* n. 35; Wernz, *l. c.* n. 181.

runtur copulative conditiones: 1° quod *nominatim*, seu expresso nomine, titulo, officio etc. personam certo designante, quis excommunicetur; 2° quod a *Sede Apostolica*, hoc est vel immediate a R. Pontifice vel a Tribunalibus aut a Congregationibus Romanae Curiae, excommunicatione mulctetur; 3° quod excommunicatio sit *publice* denuntiata, seu vel per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, aut per affixionem in publico loco, puta ad valvas ecclesiae, aut alio quoquo modo, pro temporum et locorum circumstantiis, inflicta censura publici iuris reipsa fiat; 4° quod in decreto vel sententia excommunicationis *expresse* dicatur censuratum esse *vitandum*.

Praeterea qui violentas manus, sive publice sive occulte, in personam Romani Pontificis iniecerit, est *ipso facto* vitandus (can. 2343, § 1, n. 1), quin scil. opus sit ulla sententia condemnatoria aut declaratoria. Consulto diximus: *sive publice sive occulte*, quia ius novum nequaquam distinguit, ut vetus, inter notorios et occultos percussores. Attamen manifestum est, fideles non teneri obligatione vitandi censuratum, nisi cum primum cognoverint factum criminosum.

Articulus II.

De effectibus excommunicationis.

34. — Effectus excommunicationis alii sunt *ordinarii* et *immediati*, alii *extraordinarii* et *mediati*. Priores decem numerantur, scil.: 1° *privatio communium suffragiorum Ecclesiae; 2° privatio usus passivi Sacramentorum et Sacramentalium; 3° privatio usus activi Sacramentorum et Sacramentalium; 4° privatio divinorum officiorum; 5° privatio iurisdictionis ecclesiasticae; 6° prohibitio officia seu munera ecclesiastica exercendi et incapacitas consequendi dignitates, beneficia etc.; 7° prohibitio fruendi privilegiis ab Ecclesia antea obtentis et inhabilitas ad gratias pontificias consequendas; 8° remotio seu exclusio ab actibus legitimis ecclesiasticis; 9° privatio sepulturae ecclesiasticae; 10° privatio communionis civilis seu in profanis.*

Non eodem modo et pari ratione omnes isti effectus attingunt excommunicatos sive toleratos sive vitandos.

35. — Privatio communium suffragiorum Ecclesiae. — Serino est de suffragiis *communibus*, quae scil. nomine Ecclesiae fiunt,

non autem de *privatis*, quae fiunt proprio fidelium nomine. His Ecclesia nec privat censuratos nec privare potest (1).

Suffragia communia, quibus excommunicati privantur, sunt fructus qui fidelibus obveniunt ex Missae sacrificio, ex publicis ministrorum officiis ac orationibus, et ex indulgentiis. Id, quavis sublata controversia, non solum affirmandum est de excommunicatis vitandis, verum etiam de toleratis, cum canon 2262, § 1 absolute dicat: « Excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum ».

Fideles non prohibentur *privatim* orare pro excommunicatis, nec sacerdotes Missam *privatim* ac *remoto scandalo* pro eis applicare; tamen, si sint vitandi, nonnisi pro eorum conversione (can. cit. § 2) - (2).

36. — Privatio usus passivi Sacramentorum et Sacramentalium (3). — Excommunicatus non potest Sacramenta recipere; imo, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, nec Sacramentalia (can. 2260, § 1). Quae prohibitio *per se* obligat sub gravi, iuxta communem doctorum sententiam, nisi forte ignorantia aut metus aliudve incommodum grave excuset.

Quamvis illicite, *valide* tamen recipit Sacramenta excommunicatus, ipsa Poenitentia non exclusa, dummodo ne sit in mala fide, quo in casu absolutio invalida est non propter censuram, sed ob defectum dispositionis ex parte poenitentis.

Ad Sacramentalia vero quod attinet, cum haec subsint omnimodae Ecclesiae potestati, remur, ex collatis canonum praescriptis (2264-2266), invalide excommunicatum eadem, qua *invocativa*, non vero qua *constitutiva*, recipere post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; ante sententiam, e contra, valide.

37. — Privatio usus activi Sacramentorum et Sacramentalium. — « 1° Prohibetur excommunicatus licite (et quidem *per se* sub gravi, nisi, ut supra dictum fuit, gravi causa excusetur) Sacramenta et Sacramentalia *conficere* et *ministrare*, salvis exceptionibus quae sequuntur » (can. 2261, § 1) - (4).

(1) Suarez, disp. IX, sect. 5; Reiffenst., *l. c*, n. 58 s.; Pirhing, *l. c.* n. 4; Schmalzgr., *l. c.* n. 126; Maschat, *l. c.* n. 28.

(2) Suarez, *l. c.*, sect. 4, n. 5; Reiffenst., *l. c.* n. 59; Schmalzgr., *l. c.*; S. Alph., *l. c.* n. 174; Ball.-Palm., *l. c.* n. 385 ss.; Gasparri, *op. cit.* n. 483, 912.

(3) Suarez, disp. X, sect. 1 ss.; Reiffenst., *l. c.* n. 61; Schmalzgr., *l. c.* n. 128; Ball.-Palm. *l. c.* n. 376 ss.; D'Annibale, *l. c.* nota 5; Bucceroni, *l. c.* n. 95; Noldin, *l. c.* n. 38; Wernz, *l. c.* n. 189.

(4) Suarez, disp. XI, sect. 1 et 4; Reiffenst., *l. c.* n. 61; Pirhing, *l. c.*, Schmalzgr., *l. c.* n. 129; Maschat, *l. c.*; Ball.-Palm., *l. c.* n. 392 ss.; Génicot *l. c.* n. 583.

Post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam, non solum illicite, sed etiam *invalide* excommunicatus, parochus, matrimoniis adsistit, et, confessarius, fidelium excipit confessiones (cc. 1095, § 1, 2264). Excommunicatus *valide*, necne, conficit et ministrat Sacramentalia? Ante sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, *valide* certissime, uti liquet ex collatis canonum praescriptis; post praefatam sententiam, item *valide*, ut indubitanter putamus, quia confectio et administratio Sacramentalium pertinet, qua talis, ad potestatem ordinis, non vero ad potestatem iurisdictionis. Quod valet, eadem profecto ratione, etiam de suspenso ac de interdicto. Attamen, dubitandum non est quin Ecclesia, cuius omnimodae potestati subsunt Sacramentalia, possit, absolute loquendo, vetare *sub poena quoque nullitatis* ne clericus excommunicatus vel suspensus aut interdictus Sacramentalia conficiat seu ministret.

2° « Fideles, salvo praescripto § 3, possunt ex qualibet iusta causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi » (can. cit. § 2).

Iure antiquo complures theologi docebant fideles speciali ratione haud indigere ut licite petere possent Sacramenta ab excommunicatis toleratis (1). Iure novo requiritur merito ac sufficit *quaelibet iusta causa*, etsi levis, puta animi solatium, pietas fovenda etc.

Quaeri potest, num sufficiat petitio fidelium praesumpta, ut liceat excommunicato Sacramenta conficere et ministrare. Si mens Ecclesiae spectetur eiusque summa benevolentia in fideles, dubitandum non est quin sufficiat petitio *rationabiliter* praesumpta, quae haberi censetur quoties animarum bonum postulet Sacramenta confici et ministrari, nec adsint, praeter excommunicatum, alii ministri.

3° « Sed ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can. 2252, tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia » (can. cit. § 3).

Excommunicati per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam aequiparantur vitandis, quoad confectionem et administrationem Sacramentorum et Sacramentalium. Notetur sedulo discrimen inter absolutionem sacramentalem et alia Sacramenta ac Sacramentalia. Illam fideles licite petere possunt ab excommuni-

(1) Cfr. S. Alph., *l. c.* n. 169; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1134; Noldin, *l. c.* n. 39.

cato, quamvis adsit alius minister; haec, e converso, nonnisi ubi desint alii ministri (1).

38. — Privatio divinorum officiorum. — Nomine divinorum officiorum intelliguntur « functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt » (can. 2256, 1°); ex. gr. Missae celebratio, cantus horarum, processiones, publicae preces, benedictio candelarum et palmarum, expositio SS. Sacramenti et aliae functiones quae a ministris Ecclesiae peraguntur (2).

Excommunicati privantur usu tam activo quam passivo divinorum officiorum. « Excommunicatus quilibet caret iure assistendi divinis officiis, non tamen praedicationi verbi Dei. Si passive assistat toleratus, non est necesse ut expellatur; si vitandus, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo; ab assistentia vero activa, quae aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus » (can. 2259).

Hinc: 1° excommunicati, sive vitandi sive etiam tolerati, nequeunt licite (3) assistere divinis officiis; non prohibentur tamen concionibus sacris interesse, ingredi in ecclesiam, extra tempus divinorum officiorum, ibique privatim orare; — 2° tolerati, modo *passive* tantum assistant, non debent necessario expelli; e contra vitandi semper sunt expellendi (4); quod si nequeant expelli, ab of-

(1) Periculo mortis putamus certe aequiparari causas gravissimas, puta bonorum iacturam, mutilationem, infamiam etc., cum Ecclesia, pia mater, haud urgeat cum tanto incommodo legum suarum observantiam. Cfr. Suarez, disp. VII, sect. 2; disp. XI, sect. 1; Maschat, *l. c.* n. 35; S. Alph., *l. c.* n. 17.

(2) Suarez, disp. XII, sect. 1 et 2; Engel, *l. c.* n. 59; Pirhing, *l. c.* 17; Schmalzgr., *l. c.* 130 s.; Ball.-Palm., *l. c.* n. 396 ss.

(3) Putamus excommunicatum toleratum, aliter ac vitandum, nonnisi leviter *per se* peccare divinis officiis assistendo. Etiam vitandus potest venialiter tantum peccare ex parvitate aut levitate materiae, v. gr. si exiguam Missae partem audiat. S. Alphonsus (n. 178) censet non peccare nisi venialiter excommunicatum, si utatur socio in divino officio recitando vel rosario. Si vero sit toleratus, recitans requisitus cum alio, nullatenus peccat.

Si excommunicatus tenetur ad Horas, non excusatur ab illis. Verum non debet dicere: *Dominus vobiscum, sed Domine exaudi* etc., quoties cum aliis divinum Officium persolvit.

(4) Si Missa celebretur et vitandus expelli nequeat, abrumpenda est Missa, si nondum inceperit canon; si facta iam sit consecratio, subiungenda est communio et dein ad sacristiam aliumve decentem locum est recedendum. Quod si solum coeptus sit canon, sacerdos potest vel Missam abrumpere vel eam pro-

ficio statim cessari debet, dummodo sine gravi incommodo id fieri queat; — 3° non solum vitandi, sed etiam tolerati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, imo omnes *notorie* excommunicati excludendi sunt ab assistentia activa seu a participatione in divinis officiis persolvendis; quae activa assistentia seu participatio habetur non tantum cum quis munere celebrantis fungitur, at quoque cum diaconi vel subdiaconi aut caeremoniarum magistri vel acolythi seu inferioris ministri munus gerit, vel etiam cum organum pulsat aut psallit occasione divini officii celebrandi.

39. — Privatio iurisdictionis ecclesiasticae (1). — Excommunicatus nedum vitandus, sed etiam toleratus, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam *illicite* et *invalide* quoque actus iurisdictionis tam fori externi quam fori interni exercet (can. 2265). Hinc invalide ex. gr. confert officia, dispensationes concedit, absolvit sive a censuris sive a peccatis. Nec potest ad praefatos actus iurisdictionis alios delegare, quia excommunicatus in casu caret iurisdictione; atqui nemo potest aliis tribuere quod ipsemet non habet.

Quoties actus iurisdictionis licite ponitur ab excommunicato, urgente mortis periculo (vel, ut arbitramur, gravissima alia causa), toties validus etiam est (2). Excommunicatus contra toleratus, ubi non intercesserit sententia declaratoria aut condemnatoria, *valide* semper ponit actus iurisdictionis tum interni tum externi fori, at illicite, nisi a fidelibus fuerit requisitus (cfr. cc. 2261, 2264).

40. — Prohibitio officia seu munera ecclesiastica exercendi et incapacitas consequendi dignitates, beneficia etc. (3). — Inprimis quilibet excommunicatus, licet nulla intercesserit sententia condemnatoria vel declaratoria, « prohibetur ecclesiasticis officiis (4)

sequi usque ad Communionem, solo ministro manente, ceteris abeuntibus. Cfr. Suarez, disp. XII, sect. 1, n. 10.

Quidam theologi olim docebant excommunicatum audiendo Missam incurrere irregularitatem. V. Suarez, *l. c.* n. 3.

(1) Suarez, disp. XIV, sect. 1; Pirhing, *l. c.* n. 8; Reiffenst., *l. c.* n. 69; Maschat, *l. c.* n. 31; Schmalzgr., *l. c.* n. 164 ss.

(2) In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno (can. 209).

(3) Suarez, disp. XIII, sect. 1; Engel, *l. c.* n. 60; Reiffenst., *l. c.* n. 65; Maschat, *l. c.* n. 29; Schmalzgr., *l. c.* n. 147 ss.; Ball.-Palm., *l. c.* n. 374 ss.; Hilarius a Sexten, *l. c.* p. 60; Lega, *l. c.* n. 140; Wernz, *l. c.* n. 193.

(4) « Officium ecclesiasticum lato sensu est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur; stricto autem sensu est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum cano-

seu muneribus fungi » (can. 2263); hinc toleratus (non autem vitandus, ut dicetur infra) eadem retinet, at exercitium ipsi interdicitur, cum absonum plane sit muneribus ecclesiasticis fungi qui a fidelium communione est seiunctus.

Praeterea excommunicatus nequit consequi dignitates (1), officia, beneficia (2), pensiones ecclesiasticas (3) aliudve munus in Ecclesia, et quidem sub poena *nullitatis*, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; secus, sub poena *illiceitatis* tantum (can. 2265).

Demum, ad dignitates, beneficia etc. prius obtenta ac possessa quod attinet, excommunicatus toleratus, si lata non fuerit sententia condemnatoria aut declaratoria, valide et etiam licite *per se* ea retinet suosque facit fructus, dummodo per alios adnexis oneribus probe satisfaciat; post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, toleratus privatur fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia, ita ut eos nequeat suos facere, sed teneatur erogare in favorem Ecclesiae vel pauperum aut piorum locorum: vitandus privatur ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere (can. 2266).

Privatio fructuum in casu, et dignitatis, officii, beneficii etc., est poena latae sententiae, quae proinde ipso facto incurritur, quin opus sit peculiari iudicis sententia.

41. — Prohibitio fruendi privilegiis ab Ecclesia antea obtentis et inhabilitas ad gratias pontificias consequendas (4). — 1. Excommunicatus, tam vitandus quam toleratus « prohibetur... concessis antea ab Ecclesia privilegiis frui » (can. 2263). Quibus ex verbis clare liquet ob censuram non amitti privilegia, cum, nisi

num conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis. In iure officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu, nisi aliud ex contextu sermonis appareat » (can. 145).

(1) Dignitas generatim est beneficium cum aliqua iurisdictione, honore et administratione. Cfr. Cappello, *De visitatione SS. Liminum* (Romae, 1912-1913), vol. I, p. 449, n. 8. Dividitur in *maiorem* et *minorem*; illa beneficium maius sive Praelaturam denotat, haec in Capitulis praebendam designat, cui iurisdictio aliqua una cum praeeminentia et quadam administratione competit. Cfr. can. 396, § 1; Wernz, *op. cit.* II, n. 240, II.

(2) « Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditos ex dote officio adnexas » (can. 1409).

(3) Pensio ecclesiastica est portio aliqua fructuum beneficii legitime clerico concessa. V. Santi, *op. cit.* III, p. 176, n. 11.

(4) Suarez, disp. XII, sect. 2, n. 3 ss.; Engel, *l. c.* n. 58; Pirhing, *l. c.* n. 17; Reiffenst. *l. c.* n. 63; Schmalzgr. *l. c.* n. 139.

aliud constet, censenda sint perpetua (cfr. can. 70), sed tantum prohiberi eorumdem usum. Ideo actus vi privilegiorum ab excommunicatis positi, validi semper sunt, quamvis illiciti. Quae prohibitio ne privilegiis fruatur, excommunicatum tenet ab ipso momento incursae censurae, quin sententia condemnatoria vel declaratoria opus sit. Una tamen hac in re datur exceptio, scil. relate ad ius patronatus, quatenus censura innodati, nonnisi post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, prohibentur ius patronatus exercere eiusque privilegiis frui (can. 1470, § 2).

2. Excommunicatus, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, « nequit gratiam ullam pontificiam consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat » (can. 2265, § 2).

Haec inhabilitas respicit tantum rescripta gratiae, non vero, ut antea, rescripta iustitiae (1). Num autem dispensationes et privilegia comprehendantur, necne, non satis liquet. Ex una parte videretur negandum, cum can. 36, § 2, expresse distinguat *gratias* et *dispensationes*, et can. 62, *simplicem gratiam* et *privilegium* vel *dispensationem*. Ex alia vero parte affirmandum omnino censemus, quia vox *gratia ulla*, ita generice expressa, quoslibet favores complecti censenda est; porro etiam dispensationes et privilegia veniunt communiter nomine gratiarum et favorum; ergo. Quae nostra sententia, ni fallimur, diserte confirmatur can. 36.

Incapacitas refertur ad gratias *pontificias* dumtaxat, seu concedendas a Sede Apostolica, hoc est sive immediate a R. Pontifice sive ab aliqua Sacra Congregatione aut Officio Romanae Curiae; hinc gratiae et favores forte excommunicato concessi ab Ordinario loci aliove Praelato ecclesiastico nullitate ex hoc capite non afficiuntur.

Hoc valet de gratiis *obtinendis*. Quod spectat autem ad antea *obtentas*, excommunicatus, sive toleratus, etsi lata fuerit sententia declaratoria aut condemnatoria, sive etiam vitandus, iisdem non privatur (salvo praescripto can. 2266, relate ad privationem dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris cuiuslibet ecclesiastici, vitando incurrendam ipso facto), nisi aliter cautum sit in pontificio concessionis rescripto: quae tamen clausula numquam apponi solet.

(1) C. Dilectus 26. De rescriptis (I, 3). C. Ipso iure 1. De rescriptis (I, 3) 6°. *Normae peculiares* adiectae Constit. « *Sapienti consilio* » de speciali mandato Pii PP. X (cap. III, art. 1, n. 6) hoc decernebant: « Gratiae ac dispensationes omne genus a Sancta Sede concessae, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sint, aut a Sancta Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis multati ». Cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. I, n. 64.

42. — Remotio seu exclusio ab actibus legitimis ecclesiasticis (1). — Excommunicatus quilibet removetur ab actibus legitimis ecclesiasticis (can. 2263), nisi aliter iure expresse caveatur. Porro « nomine actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini agere in sacramento baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; ius patronatus exercere » (can. 2256, 2°).

Consequenter ad praedictam exclusionem, excommunicatus « prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi » (can. 2265, § 1, 1°) ad quaevis officia aut beneficia eccelesiastica. Excommunicatio non tollit ius, sed solum vetat, et quidem *per se* sub gravi, eiusdem exercitium. Aliud profecto est quempiam privari iure, et aliud prohiberi dumtaxat.

« Excommunicatis vitandis aut toleratis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam permittitur ut per se ipsi agant tantummodo ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis; per procuratorem, ad aliud quodvis animae praeiudicium avertendum; in reliquis ab agendo repelluntur. Alii excommunicati generatim stare in iudicio queunt » (can. 1654).

Contra excommunicatos, qui generatim stare possunt in iudicio, putamus exceptionem legitime opponi non posse, neque a iudice ex officio neque ab adversariis, nisi praeter censuram, alia habeatur iusta excipiendi causa.

Memorata prohibitio ne excommunicati agant in causis ecclesiasticis, non extenditur, ut antea, ad causas etiam civiles, salvo tamen iure naturali et salvo praescripto can. 2267 de communione in profanis cum vitando.

Recensiti actus ecclesiastici, ab excommunicato positi, sunt semper illiciti, nisi petitio fidelium aut gravis causa excuset; sunt etiam invalidi, si ponantur ab excommunicato post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam; secus, quamvis illiciti, validi sunt (cfr. cc. 2264, 2265, § 2).

43. — Privatio sepulturae ecclesiasticae (2). — Excommunicatus vitandus et toleratus post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, *nisi ante mortem aliqua dederit poenitentiae si-*

(1) Cfr. Suarez, disp. XVI, sect. 2 ss.; Schmalzgr. *l. c.* nn. 161, 174; Ball.-Palm., *l. c.* n. 408 ss.; Wernz, *l. c.* n. 195.

(2) Suarez, disp. XII, sect. 4; Reiffenst., *l. c.* n. 64; Schmalzgr., *l. c.* n. 127; Bucceroni, *l. c.* n. 106; D'Annibale, I, n. 111 ss.

gna (1), ecclesiastica sepultura (2) privatur (cc. 1240, 2260, § 2). Haec prohibitio importat ut denegentur quoque « tum quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria » (can. 1241). Vetita procul dubio habenda est et Missa in die tertia, septima et trigesima. Attamen non prohibetur sacerdos Missam privatim et remoto scandalo applicare pro excommunicato a sepultura ecclesiastica excluso.

Si cadaver excommunicati *vitandi* sepulturam obtinuerit in loco sacro, contra canonum statuta, exhumandum est, modo sine gravi incommodo id fieri possit, petita ac obtenta prius Ordinarii licentia (can. 1214, § 1), et in loco profano de quo in can. 1212, sepeliendum est (can. 1242). Hoc iuris praescriptum non urget, ut antea, quoad toleratos (3).

44. — Privatio communionis civilis seu in profanis (4). — « Communionem in profanis cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis et generatim nisi rationabilis causa excuset » (can. 2267).

Communio in profanis refertur ad vitam sive privatam seu domesticam sive socialem, et respicit excommunicatum vitandum, non autem toleratum.

Actiones civiles, in quibus non licet fidelibus consortium habere cum vitando, in noto versiculo continentur: *os, orare, vale, communio, mensa.*

Os, seu colloquia, epistolae, signa benevolentiae.

Orare, quaelibet communicatio in divinis, licet privata.

Vale, salutationes peculiares obsequii vel amicitiae causa.

(1) Signa poenitentiae haec a theologis communiter assignantur: si moribundus confessarium petierit; si veniam peccatorum a Deo postulaverit aut simpliciter Deum invocaverit vel B. M. V. aut Sanctos; si res sacras puta crucifixum aliamve iconem seu imaginem deosculatus sit, etc.; vel unus testis sufficit qui referat de huiusmodi signis. Cfr. D'Annibale, *op. cit.* n. 115, nota 42; Berardi, *Theol. Pastoralis* (Faventiae, MCMII) n. 515 ss.; Alberti, *Theol. Past.* P. V. *circa sepulturam ecclesiasticam* (Aculae, 1905), n. 8; Génicot, *l. c.* n. 628.

(2) « Sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis » (can. 1204).

(3) Animadvertendum est coemeterium violari sepultura tum excommunicati vitandi tum etiam tolerati post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam (cc. 1172, § 1, 4°, 1207).

(4) Suarez, disp. XV, sect. 1 ss.; Engel, *l. c.* n. 47; Pirhing, *l. c.* n. 21; Reiffenst., *l. c.* n. 142 ss.; Maschat, *l. c.* n. 38; S. Alph. *l. c.* n. 188-195; Ball.-Palm., *l. c.* n. 411; Hilarius a Sexten, *l. c.* p. 62.

Communio, societas quaevis habitationis, negotii, cooperationis etc.

Mensa, mutua invitatio ad mensam.

Excusantur a communione in profanis cum excommunicato vitando: coniux, parentes, liberi, famuli, subditi aliique omnes quibus rationabilis causa faveat, iuxta famosum versiculum: *utile* (commodum spirituale vel temporale communicantis, excommunicati vel tertii), *lex* (matrimonium, ex quo reciproca oritur inter coniuges obligatio quoad torum, mensam et domesticam conversationem), *humile* (subiectio et obedientia, qua v. gr. filii tenentur erga parentes, famuli erga dominum, subditi erga principem), *res ignorata* (ignorantia, si excusat a censura incurrenda, a fortiori excusat a communione cum vitando), *necesse* (necessitas quaevis, spiritualis vel temporalis, sive vitandi sive communicantis aut tertii).

45. — Num et quale peccatum sit communicare cum excommunicato. — *a*) Communicare *in divinis* est peccatum mortale, nisi excuset parvitas materiae aut damnum grave (1).

b) Iure antiquo non pauci auctores (2) docebant communionem *civilem* cum vitando prohibitam esse sub gravi et ab ea nonnisi causas graves excusare. Aliter nunc dicendum est. Ex verbis enim cit. can. 2267 manifesto liquet sufficere *rationabilem causam*, seu quamlibet causam iustam, etsi levem; ac ideo, remoto scandalo et periculo perversionis, praefata obligatione fideles non teneri sub gravi, sed tantum sub levi indubitanter tenemus.

Communicatio *in profanis* cum tolerato ne sub levi quidem lege ecclesiastica prohibetur.

c) Communicare cum excommunicato *in crimine criminoso*, scil. in illo ipso crimine propter quod censura est multatus, ei auxilium vel consilium aut favorem praestando, peccatum mortale est. Incurritur etiam excommunicatio (cfr. can. 2338, § 2), de qua suo loco dicetur.

46. — Effectus extraordinarii et mediati excommunicationis (3). — 1. Excommunicatus qui censuram violat per actum ordinis (4), irregularis fit (can. 985, 7°).

(1) D'Annibale, *l. c.* n. 356; Génicot, *l. c.*; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1146.

(2) Cfr. Suarez, *l. c.* sect. 2, n. 2; S. Alph., *l. c.* n. 198. S. Thomas (in 4. dist. 18, q. 2, art. 3; *Suppl.* q. 23, art. 3; *Quodlib.* 11, art. 9) cum sententia communiore docet hoc peccatum, regulariter loquendo, esse tantum veniale.

(3) Cfr. Suarez, disp. XVII, sect. 1 s.; Reiffenst., *l. c.* n. 74; Schmalzgr., *l. c.* n. 195; Ball.-Palm., *l. c.* n. 368 ss.; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1148; Lega, *l. c.* n. 224.

(4) Puta si Sacrum faciat vel audiat confessiones aut munus diaconi vel subdiaconi in Missa solemni gerat.

2. Si, obdurato animo, per annum insorduerit in censura excommunicationis, est de haeresi suspectus (can. 2340, § 1).

3. Suspectus autem de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohiberi debet, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendi a divinis; quod si intra sex menses a contracta poena completos sese non emendaverit, habendus est tamquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius (can. 2315); et consequenter, nisi monitus resipuerit, privari debet beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeat, ac infamis est declarandus, et clericus, iterata monitione, deponendus (can. 2314, § 1, 2°) - (1).

CAPUT II.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS LATAE SENTENTIAE

Articulus I.

De excommunicationibus specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis.

I.

« § 1. *Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.* »

« § 2. *Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est* » (can. 2367).

47. — Absolvens. — Seu qui habet intentionem vere absolvendi et formam absolutionis profert. Verum absolutio, extra mor-

(1) Cfr. n. 71 ss.

tis periculum impertita, est invalida ob defectum iurisdictionis in confessario (can. 884).

Utrum iurisdictione careat confessarius in peccatum complicitatis iam per absolutionem directe remissum, controvertitur. Negant Bucceroni (1), D'Annibale (2), Génicot (3). Affirmant Ballerini (4), Noldin (5) et alii. Si verba cit. can. 884 « absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo » probe attendantur, cum absolute et sine ulla restrictione significent confessarium in peccatum complicitatis omni iurisdictione *directe* carere, sententia negativa probabilior et magis tuta videtur. Diximus consulto: omni iurisdictione *directe* carere, nam dubitandum non est quin valida sit absolutio, si poenitens, postquam a peccato complicitatis ab alio confessario iam directe fuerit absolutus, confessionem instituat apud complicem et idem complicitatis peccatum, una cum aliis, clavibus subiiciat (6).

Utrum valida sit absolutio quam sacerdos complex *bona fide* impertitur, sive quia ignorat se carere iurisdictione, sive quia non advertit poenitentem esse suum complicem, non convenit inter doctores. Qui validam eam dicunt (7), hisce rationibus innituntur: « privatio iurisdictionis habet rationem poenae; poena autem ab ignorantibus non incurritur: solum sacerdos qui *ausus fuerit* complicem absolvere, privatur iurisdictione; atqui ausus temerarius abest omnino, posita bona fide complicis absolventis ». Porro neutra ratio iure novo valet. Non prior, quia ex praescripto can. 2229, § 3, 1°, ignorantia legis aut poenae, etsi non fuerit crassa vel supina, non excusat a poenis vindicativis latae sententiae; non alia, quia ius novum, cui omnino hodie standum est, nullam mentionem facit de ausu temerario (cfr. can. 884), aliter ac Constit. Benedicti XIV. Hinc, omnibus mature perpensis, putamus absolutionem in casu, saltem probabilius, esse invalidam.

Praeterea quaeri solet a doctoribus, num valida sit absolutio aliorum peccatorum, si a confessario complice absolvatur poenitens, qui bona fide ad eum accedat, sive accuset peccatum compli-

(1) *Comm.* IV, n. 76.

(2) *Op. cit.*, III, n. 324, nota 37; *Comm. in Const. Apost. S. Sedis*, n. 26, edit. 4.

(3) *Loc. cit.* n. 352, 5°.

(4) *Op. cit.*, V, n. 587.

(5) *Summa theol. mor.*, III, n. 385, 3.

(6) Honor sacramento debitus et ipsemet pudor, si quis est in sacerdote, postulat ut is numquam in posterum excipiat complicis confessionem.

(7) Cfr. D'Annibale, *Comm. in Const. Apost. Sedis*, n. 87; Bucceroni, *l. c.* n. 73; Scavini, *Theol. mor. univ.*, III, n. 485 adnot. ad tract. X (L.); Noldin, *l. c.* n. 385, 1, b.

citatis, a quo nondum est absolutus, sive illud inculpabiliter rereticeat.

Si bona fide peccatum complicitatis poenitens reticeat, absolutio ut valida est habenda; et confessarius in excommunicationem non incurrit. Si, contra, poenitens accuset, etsi bona fide, complicitatis peccatum, ita ut confessario certo innotescat illud remissum nondum esse, excommunicationem procul dubio ipse non effugit, et absolutionem quoque aliorum peccatorum invalidam esse opinamur. Verum equidem est plures theologos (1) aliter sentire, putantes cetera peccata directe remitti, peccatum complicitatis indirecte; at ni fallimur, eorum sententia, iure novo inspecto, sustineri amplius non potest. Sane can. 884 expresse et absolute edicit *absolutionem complicis in peccato turpi esse invalidam;* iamvero, iuxta praefatos theologos, absolutio esset valida, directe quoad alia peccata, indirecte quoad ipsum complicitatis peccatum, et proinde sensum non haberent canonis verba; quod absonum est. Insuper, ut liquet ex eodem canone, privatio iurisdictionis est poena gravissima in odium tanti criminis inflicta; porro si peccata, directe vel indirecte, remittuntur, nonne haec privatio seu poena inutilis aut fere inutilis videtur, cum reipsa effectum non sortiatur? (2).

Non incurrit in excommunicationem: *a*) qui audit confessionem complicis, at illum *non absolvit*, quia sola exceptio confessionis est quidem sacerdoti complici prohibita, non tamen sub excommunicationis poena; *b*) qui *ex inadvertentia* absolvit, aut in quadam mentis *perplexitate;* et generatim quoties, ex imperfectione actus sive intellectus sive voluntatis, deest peccatum mortale; *c*) qui absolvit poenitentem, de quo dubitat, num sit proprius complex, necne; inquirere enim seu petere nullo pacto tenetur; *d*) qui absolvit complicem, a quo nec in actu peccati neve postea tamquam sacerdos cognitus fuit, cum minime teneatur se ipsum diffamare per delicti manifestationem; attamen, si in actu peccati cognitus non fuerit, sed postea tamquam complex et sacerdos agnitus sit, certissime censuram contrahit.

Contra, excommunicatione plectitur: *a*) absolvens complicem,

(1) Ball.-Palm., *l. c.* n. 648; Lehmkuhl, *l. c.* n. 936, nota 2; Bucceroni, *l. c.* n. 71; Génicot, *l. c.* n. 352, 2; Gury-Ferreres, *Compendium theol. mor.* (Barcinone, 1902) II, n. 587, quaer. 7°.

(2) Immerito nonnulli auctores opinati sunt « errorem communem supplere iurisdictionem, quando absolutio complici indebite impertitur ». Sane Ecclesia, ob errorem communem supplendo iurisdictionem, intendit consulere non aliquibus tantum, qui decepti putarent iurisdictionem sacerdoti complici inesse, sed multitudini hominum, communi persuasione id falso existimantium. Porro, cum de complice absolvendo agitur, duo tantum intersunt, scil confessarius et poenitens; ideoque error *communis* abest.

qui sacerdotem hic et nunc seu in actu confessionis ut complicem non cognoscit (1); *b*) qui absolvit ex ignorantia *crassa* vel *supina*, hoc est *graviter culpabili;* nam ignorantia *crassa* et *supina*, seu graviter culpabilis, nequaquam excusat, cum can. 2367, § 1, dicat simpliciter *absolvens*, prout Const. *Apostolicae Sedis*, et ausum temerarium, praesumptionem etc., aliter ac in Benedictina Constitutione, minime exigat, ut iam declaraverat S. C. S. O. 13 ian. 1892.

48. — Fingens absolvere. — Qui scil. simulat absolutionem impertire, at reipsa non absolvit. Necesse est ut poenitens in errorem inducatur, quatenus existimet se vere absolvi: secus non incurritur excommunicatio. Hinc censuram effugit sacerdos, qui poenitentem hac de re monitum eum sola benedictione dimittit, etsi alii in errorem inducantur (2).

49. — Complicem. — Complicitas generatim est duorum vel plurium in eamdem actionem externus mutuusque consensus; in casu nostro, complex dicitur qui cum alio, sive mare sive femina, tam pubere quam impubere, peccatum turpe committit (3). Agitur enim, uti palam est, de complicitate *formali*, quae proinde ex utraque parte culpam requirit; et quidem de formali complicitate *externa*, seu aliquo modo, etsi *negative* tantum, ut infra explicabitur (n. 50), manifestata exterius. Exinde sequitur non haberi complicitatem si sacerdos peccaret cum muliere dormiente, ebria, amente aut omnino invita; vel si alius, mas feminave, cum sacerdote, item dormiente, aut ebrio vel invito, turpia ageret.

Controvertitur, num *cooperatio* proxima ad peccatum turpe alterius sufficiat, vel potius requiratur complicitas *immediate* in ipsa actione turpi. Bucceroni (4) affirmat cum aliis; Noldin (5) Ithur (6) etc., negant. Mentem nostram hac de re ita sincere pandimus.

Cooperatio, ut *cooperatio*, licet proxima, est peccatum vel contra caritatem tantum vel contra iustitiam si ius strictum alterius

(1) Cfr. Noldin, *De poenis eccl.*, n. 63, 3°; Ciolli, *Commentario pratico delle censure* latae sententiae *oggidì in vigore nella Chiesa* (Siena, 1902), n. 101.

(2) S. Poenit. 1 mart. 1878 declaverat confessarios simulantes absolutionem complicis in peccato turpi non effugere excommunicationem. Quae declaratio S. Poenitentiariae confirmata fuerat a S. Off. 5 dec. 1883 « facto verbo cum SSmo ».

(3) Cfr. Ball.-Palm., V, n. 646 ss.; D'Annibale, I, n. 175; III, n. 192; Bucceroni, *l. c.* n. 69; Noldin, *l. c.* n. 62; Lehmkuhl, *l. c.* II, n. 1202.

(4) *Loc. cit.* n. 69.

(5) *Loc. cit.* n. 62, 1, b.

(6) *Cas.* 53, n. 24.

laedat, non autem contra castitatem; ideoque non sufficit, *qua talis*, ad constituendum casum complicitatis, de qua nunc agitur. Attamen si actus seu verba quibus cooperatio exprimitur et ad effectum demandatur, sint *graviter ac mutuo inhonesta*, ut vix non semper accidere solet, certe habetur complicitas, non quidem ratione cooperationis, sed ratione eorumdem actuum seu verborum quae externam ac mutuam et gravem culpam ex se ipsis constituunt.

Si sacerdos per summum nefas induceret feminam ad credendum, peccato prorsus vacare, si turpiter ab ipso tangi se sineret, eaque ab illo decepta *bona omnino fide* (quae tamen perquam raro est admittenda, saltem ad longum tempus) turpiter tangi pateretur, quin formale in se peccatum admitteret, non haberetur complicitas (1). Deest quoque complicitas, si mas mulierve, cum qua sacerdos peccat, exterius resistat, quamvis interius consentiat.

50. — In peccato turpi. — Omne peccatum contra sextum Decalogi praeceptum, licet copula non consummatum, intelligi debet, dummodo sit *mortale* ex utraque parte et *externum*. *Mortale*, quia lex loquitur de culpa quae sacramentali absolutione necessario est delenda; oportet vero peccatum sit grave tum ratione actus interni, tum ratione operis exterioris. *Externum*, quia secus non haberetur complicitas.

Dubitandum non est quin tactus, oscula, amplexus, aspectus et colloquia, peccatum complicitatis constituant, si exterius et vicissim sint graviter turpia. Sane vocabulum *peccatum turpe* significat, iuxta obvium germanumque sensum, quamlibet culpam contra sextum. Nonne enim oscula, tactus, amplexus inhonesti etc. sunt vere peccata, et quidem contra castitatem seu turpia? Contrariam sententiam quavis carere probabilitate arbitramur, sive attendantur ipsissima legis verba, sive consideretur authentica declaratio a S. C. Univers. Inquisitionis die 28 maii 1873 data (2). Ad habendam complicitatem non requiritur ut uterque operetur; sufficit ut unus tantum agat, v. gr. unus alterum turpiter tangat et hic consentiat ac exterius consensum ostendat; qua in re, consensum exterius manifestare censetur, qui externe non resistit.

Utrum peccata turpia, ante susceptum sacerdotium commissa, subsint huic legi, necne, olim disputabant doctores. Communis hodie sententia, quam veluti certam amplectimur post declarationem

(1) Cfr. Bucceroni, *l. c.*; Ithur., cas. 41, n. 25.

(2) Declaratum fuit « prohibitione absolvendi complicem in materia turpi... comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa, quae consistunt in meris colloquiis, et adspectibus, qui complicitatem important ».

S. Poenit. 22 ian. 1879, textu iuris saltem implicite confirmatam, affirmat, ita ut opposita opinio, si quem adhuc habeat sectatorem, sit omnino reiicienda.

Ex defectu unius alteriusve conditionis supra indicatae, non habetur peccatum turpe, de quo lex agit, et consequenter non fit locus excommunicationi in hisce casibus: *a*) si peccata sint *dubia*, sive dubio iuris sive dubio facti; *b*) si peccata sint *venialia*, vel ex parvitate materiae vel ex actus imperfectione; *c*) si peccata sint gravia quoad actum internum, utpote ex pravo affectu posita, at levia quoad actum externum, puta osculum in partibus honestis aut parum inhonestis.

51. — Incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam (1). — Haec censura ita est reservata ut, dum ab aliis quibuslibet etiam specialissimo modo reservatis confessarius potest absolvere, non iniuncto onere recurrendi, si recursus sit moraliter impossibilis, numquam e contra possit ab ea absolvere quin onus recurrendi iniungat (2).

S. Poenitentiaria, cum facultatem tribuit absolvendi absolventem complicem, praecipere solet ut in perpetuum sacerdos abstineat a complicis confessione excipienda. Praeterea facultas hac similive clausula limitatur: « Si *tres* aut plures personas, sive unam *ter* aut *pluries* absolvere ausus fuerit (iniungas), ut ipsum confessarii officium, quo tantopere abusus est, quam primum poterit, infra tempus ab absolvente determinandum, non tamen ultra tres menses, si sit simplex confessarius; si autem parochus, non ultra sex menses, dimittat ».

Verba *tres*, *ter* aut *pluries* intelligenda sunt non ab ultima confessione sacerdotis poenitentis, sed per totam anteactam ipsius vitam, ut declaravit S. Poenit. die 5 iun. 1901.

Quod si ratione muneris nequeat sacerdos officium dimittere, confessarius recurrat ad S. Poenitentiariam, ut, omnibus circumstantiis expositis, obtineat dispensationem ab iniuncto onere. Ordinarie tempus dimittendi officii ad sex menses vel ad annum prorogatur, ac tandem, nisi acciderit relapsus, obligatio iniuncta relaxatur, adeo ut sacerdos possit confessarii munus retinere.

(1) Etiam iure antiquo, ut liquet ex declarationibus S. C. S. O. 27 iun. 1866, 4 april. 1871, haec censura *specialissimo modo* reservata censebatur; nam in generali et amplissima facultatum concessione absolvendi ab omnibus casibus *speciali modo* quoque reservatis, expresse excipiebatur casus iste.

(2) Confessarius nequit complicem absolvere in vim Iubilaei, aut Bullae, quae appellatur *Cruciatae*, aut alterius cuiuslibet *Indulti*. Cfr. cit. Const. Benedicti XIV, § 4 et 5.

52. — Idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, etc. — Mortis articulo certissime aequiparatur periculum, non solum ex communi doctorum sententia (1), verum etiam ex contextu aliorum canonum (2), qui non casu, ut opinamur, sed consulto, et merito quidem, potiusquam de articulo, loquuntur de mortis *periculo* (3).

Quamvis sacerdos valide absolvat complicem, urgente periculo mortis, tamen illicite agit et censura mulctatur. Excipiuntur quatuor casus, in quibus licite confessionem audit et ideo excommunicationem effugit: 1° si nullus alius sacerdos adsit aut vocari possit, ne simplex quidem seu non approbatus ad confessiones audiendas, puta in locis missionum vel in amplis dissitisque paroeciis ubi unus tantum sit sacerdos animarum curae praepositus; 2° si alius sacerdos confessionem excipere recuset, sive ex ignavia aut scrupulis sive ex quacumque alia causa; 3° si alius sacerdos vocari quidem possit, at non sine scandalo vel infamia tum moribundi tum sacerdotis complicis; 4° si poenitens moribundus recuset confiteri alteri sacerdoti, licet hic sit praesens aut sine ulla difficultate et sine scandalo ac infamia accersiri possit.

Quaerunt doctores, num sacerdoti complici sit praeferendus etiam sacerdos excommunicatus vel suspensus. Sententia negativa est omnino tenenda, si agatur de excommunicato vel suspenso per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, tum quia mens Ecclesiae hac in re sat manifesto colligitur nedum ex canone quem nunc expendimus, verum etiam ex can. 2261, § 3, tum quia vix sine scandalo vel infamia vocari potest sacerdos excommunicatus aut suspensus. Attamen si moribundus ipse simplici sacerdoti praeferret suspensum vel excommunicatum, hic certe posset ac deberet praeferri, cum Ecclesia, cui salus animarum unice cordi est, omnimodam libertatem relinquat, ut, quantum in se est, christifideles universi vitam aeternam adipiscantur (4).

(1) Bucceroni, *l. c.* n. 64; Génicot, *l. c.* n. 364, IV; D'Annibale, *l. c.*; Noldin, *l. c.* n. 63, 5.

(2) Cfr. cc. 882, 884, 2252, 2253, 2254, § 1.

(3) Id valet etiamsi articulus vel periculum mortis *prudenter* quidem, sed *falso* existimatum fuerit. Aliquando enim difficile est distinguere verum et reale periculum a periculo tantum existimato et apparenti. Proinde Ecclesia merito praesumitur iurisdictionem in casu tribuere, ne dubiis et anxietatibus via recludatur.

(4) Si, urgente articulo seu periculo mortis, sacerdos incipiat confessionem complicis excipere, et alius interim adveniat sacerdos, inceptam confessionem explere potest, quia, re non integra, iurisdictio perseverat donec negotium fuerit absolutum.

Item si complicis confessionem incipiat audire in mortis articulo, stante

Si complex sacerdos periculum scandali vel infamiae confingat, ubi reipsa non est, aut *de industria* illud non avertat, certe in excommunicationem incurrit ex cit. Const. Benedicti XIV, quam adhuc vigere compertissimum est.

Plures theologi, v. gr. Bucceroni (1), Ball.-Palm.(2), Génicot (3), Lehmkuhl (4), Noldin (5), Gury-Ferreres (6) docent, praeterquam in articulo vel periculo mortis, licere sacerdoti absolvere complicem suum etiam in *gravissima necessitate*, puta si ob loci circumstantias (ut praesertim in missionibus contingere potest) nec alius adsit confessarius nec probabilis affulgeat spes quod umquam sit adfuturus; item si, urgente praecepto confessionis et communionis paschalis, desit alius confessarius et mas feminave complex nequeat absolute propter adiuncta specialia alio divertere ad extraneum quaerendum confessarium, simulque sacramentorum receptionem omittere non possit sine gravi scandalo et infamia. In his similibusve casibus, aiunt, non censetur Ecclesia velle per suam legem positivam praecludere complici reconciliationis viam, praesertim cum ex praecepto divino teneantur omnes ad confessionem non so-

necessitate, dein, transacto periculo mortis, potest confessionem perficere et absolvere, dummodo inter priorem accusationem peccatorum et posteriorem atque absolutionem tantum temporis spatium haud intercedat ut unio moralis deesse censeatur.

Cum in praefatis casibus licite sacerdos complex absolvat, excommunicationem procul dubio effugit.

E contra sacerdos qui complicem in mortis articulo absolverit, urgente necessitate, non potest, quin censuram incurrat, periculo transacto, excipere, ratione integritatis, confessionem peccatorum nondum clavibus Ecclesiae directe submissorum, si peccatum ipsum complicitatis adhuc maneat accusandum. Aliter dicendum, si alia tantum peccata, praeter complicitatis culpam, exprimenda supersint.

Quaerunt Doctores an censura mulctetur sacerdos complex, qui citra necessitatem complicis confessionem audiat in articulo mortis, si antequam absolvat facti eum poeniteat, deinde vero absolvat ob circumstantiam inchoatae confessionis. Ita distinguendum: vel sacerdos sine gravi exoritura infamia aut scandalo potest inchoatam confessionem interrumpere atque absolutionem omittere ita quidem ut alius commode advocari queat presbyter, vel non. Si primum, excommunicatione tenetur; si alterum, censuram non incurrit. Qua de re haud satis clare quidam auctores loquuntur. Cfr. Gury, *Cas.* 628; Ithur, *Cas.* 50, n. 25; Bucceroni, *l. c.* n. 80.

(1) *Loc. cit.* n. 68.
(2) *Loc. cit.* n. 655.
(3) *Loc. cit.*
(4) *Loc. cit.* n. 837.
(5) *Summa theol. mor.*, III, n. 386, b.
(6) *Loc. cit.* n. 587, quaer. 8.

lum in periculo mortis sed etiam pluries in vita, et ipsa naturalis lex tribuat cuique ius ad propriam famam. Hae rationes adeo sunt magni momenti ut memoratam auctorum sententiam tamquam vere probabilem habendam esse opinemur.

53. — Excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri. — Quam sapientissime haec verba adiecta sint, nemo est qui non videat. Olim multi quidem theologi opinabantur licite excipi posse in articulo mortis confessionem complicis, cuius salus periclitaretur, quia apud alium confessarium confiteri nollet aut sacrilege confessurus videretur; at non pauci doctores affirmabant id nequaquam licere. Ne in re tanti momenti ulla dubitandi ratio superesset, suprema sua auctoritate legislator controversiam peropportune diremit.

Non requiritur recusatio explicita, sed sufficit, ut opinamur, etiam implicita, ex verbis aut nutu seu signis desumpta, puta si moribundus dicat aut facto ostendat se nonnisi *aegro animo* confiteri alii sacerdoti.

54. — Eamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere etc. — Duplex hypothesis potest fingi. Vel poenitens reticet peccatum complicitatis, sive culpabiliter sive inculpabiliter, quin ullo modo ad id fuerit inductus a confessario; vel peccatum non declarat, item culpabiliter et forte etiam inculpabiliter, quia sive directe sive indirecte inductus fuit a confessario complice. In priori hypothesi, confessarius non incurrit in censuram (1); in alia, incurrit. Iam antea S. Poenitentiaria, 19 febr. 1896, probante SSmo, declaraverat non effugere excommunicationem confessarium absolventem vel fingentem absolvere suum complicem, qui peccatum complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, si poenitens ideo ita se gerat quia ad id confessarius ipsemet eum induxit sive directe sive indirecte. Porro quid sibi velit vox *directe* et *indirecte*, eadem S. Poenitentiaria authentice significavit in cit. declaratione: « *Directe* autem confessarius inducit poenitentem quando positive et explicite eum praemonet de tacendo peccato complicitatis, quia v. gr. illud iam novit et declaratio illius esset inutilis. *Indirecte* vero inducit, quando confessarius suadere conatur poenitentem, sive quod actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat; unde poenitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum, et ab eo declarando revera abstinet ».

(1) S. Poenit. 16 maii 1877.

II.

« *Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata* » (can. 2369, § 1) - (1).

55. — Confessarium. — Verus confessarius heic intelligi debet, non fictus seu ex errore existimatus, nec alius quicumque, licet sigilli sacramentalis obligatione teneatur. Neminem profecto latet, ad sigillum obligari nedum confessarium, sed omnes etiam, ad quos notitia sacramentalis confessionis quomodocumque pervenerit (can. 889, § 2), scil. : *a) interpretem* sponte ad confessionem peragendam adhibitum; *b) audientes*, qui casu aut de industria rem in confessione declaratam audierint; *c) eos*, quibus sive sacrilege sive imprudenter confessarius aliquid de auditis in confessione manifestaverit; *d) superiorem*, a quo petita fuerit facultas absolvendi a reservatis; *e) theologum*, quem confessarius de poenitentis licentia consuluerit; *f) legentem* sive casu sive data opera confessionem alterius scriptam, seu chartulam quae sit vel actualis confessio vel medium ad actualem confessionem ordinatum (2). Idem dicas de epistola confessarii ad S. Poenitentiariam eiusque responso. Omnes isti, si — quod Deus avertat — violent sigillum sacramentale, peccant quidem gravissime, at censura, de qua nunc agitur, non multantur. Neque ei obnoxius est laicus, qui se confessarium simulaverit et reipsa confessionem fidelium bona fide accedentium exceperit.

E contra sacerdos, nondum approbatus ad confessiones, vel excommunicatus aut suspensus etiam per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, subiicitur censurae, dummodo tamquam verus confessarius fuerit a poenitentibus existimatus.

56. — Sigillum sacramentale. — Nomine sigilli sacramentalis intelligitur obligatio confessarii servandi silentium de omnibus ex confessione sacramentali cognitis, quorum revelatio cederet in gravamen poenitentis et in odium sacramenti. Haec obligatio tum

(1) Suarez, *De Poenit.* disp. XXXIII, sect. 2 ; Reiffenst., *l. c.* tit. XXXVIII, n. 2 ss. ; Lugo, disp. XXIII, n. 10 ss. ; Schmalzgr., *l. c.* tit. XXXVIII, n. 59 ss. ; S. Alph., lib. VI, n. 633 ss.

(2) Aliter dicendum si charta nonnisi materiam ad confessionem praeparatam contineat. Nec sigillo tenetur qui legit chartam qua poenitens reipsa usus est ad confitendum, quamque post confessionem adhuc apud se retinet. Cfr. Lugo, *l. c.* n. 47; S. Alph., *l. c.* n. 650; Croix, *l. c.* n. 963.

ex religione oritur, tum ex iustitia; ex religione, quatenus reverentia sacramento debita eam exigit omnino, ne sacramentum fidelibus odiosum fiat; ex iustitia, quatenus habetur pactum implicitum inter confessarium et poenitentem de secreto servando, ac ipsamet naturae lex prohibet ne cuiquam damnum inferatur, quod profecto poenitens pateretur in fama, si peccatum occultum manifestari contingeret (1).

Proinde palam est, originem sigilli sacramentalis non solum a iure naturali esse repetendam et a iure positivo ecclesiastico, verum, et praesertim quidem, a iure divino seu ab ipsa divina institutione confessionis sacramentalis cum praecepto integritatis, quae ad omnia et singula peccata, etsi occultissima et gravissima, extenditur (2).

Sigilli autem obligatio profluit *ex omni et sola confessione sacramentali*. Porro sacramentalis confessio ea est *quae fit in ordine ad sacramentalem absolutionem*, non ea quae simulatur, puta, ad confessarium decipiendum aut irridendum, ad aliquid ab eo furandum etc. Iuxta communem theologorum doctrinam, confessio habetur ut sacramentalis licet poenitens recedat sine absolutione quia est indispositus; sufficit ut ipse se accusaverit in ordine ad absolutionem (3).

Omnia quae *submittuntur potestati clavium* seu quae sunt materia, necessaria aut libera (sufficiens), sacramenti poenitentiae, constituunt *directe et per se* obiectum sigilli, scil. peccata sive mortalia sive venialia, sive iam antea remissa sive non, tam occulta quam publica, nisi aliunde haec nota sint confessario. Praeterea obiectum sigilli *indirecte* sunt etiam: *a*) circumstantiae, sine quibus peccata aut nullo modo aut difficulter accusari possunt; *b*) item circumstantiae, quae nec necessario nec utiliter, imo imprudenter, a poenitente declarantur, dummodo relationem habeant cum peccatorum accusatione; *c*) defectus poenitentis sola confessione manifestati, v. gr. quod sit illegitimus, modo, ut diximus in casu praecedenti, defectus relationem *vere* habeant cum sacramentali confessione; *d*) omnia quae de facto in confessione dicta fuere ad peccatum declarandum, quia, cum ordinentur ad peccati accusa-

(1) Lugo, *l. c.*; Schmalzgr., *l. c.* n. 76; S. Alph., *l. c.* n. 635.

(2) Obligatio sigilli tanta est ut nullo in casu, ne ad mortem quidem vitandam aut pro universa spirituali civilive republica tuenda, illud violare liceat. Bonum enim sacramenti, cui principaliter ex lege divina consulitur sigillo, ceteris omnibus praeferri debet. Lugo, *l. c.* n. 42 ss.; S. Alph. *l. c.* n. 634; Ball.-Palm., V, n. 399.

(3) Cfr. S. Thom. in 4 Sent., dist. 21, q. 3, a. 1, solut. 1 ad 1; Suarez, *l. c.* n. 6; Schmalzgr., *l. c.* n. 60; Lugo, *l. c.* n. 45; S. Alph., *l. c.* n. 637.

tionem, omnia saltem reductive materiam confessionis constituunt, v. gr. obiecta peccatorum et peccata complicis, etsi revelata sine necessitate; *f*) denegata absolutio, quia indispositio poenitentis recte exinde colligitur; *g*) imposita poenitentia, nisi minima sit (1).

Obiectum sigilli ea non sunt, quamvis in confessione declarata vel cum confessione connexa, quorum revelatio neque in poenitentis gravamen neque in odium sacramenti vergit, v. gr. Dei dona et virtutes, accessio ad confessionem, absolutio data et similia (2). Abstineat confessarius ab his similibusve manifestandis, praesertim ad datam absolutionem quod spectat, quia non raro eiusmodi manifestatio aliis onerosa evadere potest, cum nempe de illis eadem fieri nequit.

Confessarius tenetur ad sigillum etiam in dubio an aliquid dictum sit a poenitente in ordine ad absolutionem, vel revera audierit in confessione aut aliunde notitiam acceperit (3).

Non solum quoad extraneos, sed etiam quoad ipsum poenitentem manet confessarium obligatio de sigillo servando, ita ut absolute prohibeatur cum eodem loqui, sine ipsius licentia, de rebus auditis in confessione; secus redditur odiosum et onerosum sacramentum, cum huiusmodi loquutio sine rubore et pudore poenitentis fieri nequeat. De *expressa* poenitentis *licentia* potest loqui confessarius etiam cum aliis, v. gr. ratione consilii petendi causa. Siquidem obligatio non loquendi de auditis in confessione hanc clausulam subaudit: nisi poenitens licentiam dederit. Sigillum enim immediate institutum in favorem poenitentis, et quidem etiam ex primaria instituentis intentione in favorem ipsius sacramenti; atqui sicut in favorem poenitentis et sacramenti cedit ut sine tali licentia confessarius loqui non possit, ita etiam in utriusque favorem cedit quandoque ut possit loqui cum praefata licentia. Profecto id cedere potest in bonum ipsius poenitentis per sacramentum intentum, nec aliunde sacramento Poenitentiae nocumentum infertur, si, ut opus est, prudenti et rationabili modo loquutio fiat (4).

57. — Directe. — Palam est omnibus sigillum sacramentale duplici modo posse violari: *directe* et *indirecte*. Ad violationem *directam* necesse est, ut sive peccatum in confessione accusatum

(1) Ball.-Palm., *l. c.* n. 924 ss.

(2) Caveat tamen prudens confessarius ne de his loquatur. Regula ipsi usque sancteque servanda haec est: omnia quae in confessione audita fuere, alto silentio premantur, cum vix aut ne vix quidem ex eorum narratione vitari possit aliqua christifidelium offensio et forte etiam scandalum.

(3) Cfr. Suarez, *l. c.*; Schmalzgr., *l. c.* n. 60; S. Alph., *l. c.* n. 633.

(4) Cfr. S. Thom. in 4, dist. 21, q. 3, a. 2; Suarez, *l. c.* sect. 5, n. 8.

sive ipsa persona poenitentis manifestetur; quae persona vel *expresse* nominari potest, vel *ex adiunctis* ita perfecte designari, ut certo eam cognoscere possint audientes, licet forte eis sit ignota nec umquam cognoscenda. Non requiritur tamen, ut audientes sciant confessarium loqui de rebus in confessione auditis, sed satis est ut ipse de iisdem rebus revera loquatur (1).

Violatio *indirecta* sigilli adest, cum confessarius aliquid dicit, facit vel omittit, ex quo alius secretum confessionis arguere, divinari aut suspicari possit, vel ipse poenitens pudorem aut quodvis aliud gravamen propter suam confessionem pati cogatur (2); imo etiam quoties, « reticitis quamquam omnibus quae poenitentis personam quomodocumque prodere queant » confessarii, loquutio de auditis in confessione aliquam saltem speciem sive apparentiam atque suspicionem iniuriae contineat, offendat pias aures audientium, et diffidentiam excitet contra sacramentum (3).

Directa sigilli violatio nullam admittit parvitatem materiae; licet enim levissimum peccatum veniale manifestaretur, gravis fieret iniuria sacramento, et fideles arcerentur a peccatis suis accusandis, si scirent confessarium posse, saltem absque gravi culpa, ea revelare quae venialia tantum esse existimaverit. Violatio indirecta parvitatem materiae admittit, scil. quando res quae narratur talis est ut periculum suspicionis vel iniuriae adeo sit tenue, ut non sufficiat ad imprudentiam gravem, nec ad gravem irreverentiam in sacramentum (4).

Solum qui *directe* violant sigillum sacramentale excommunicatione specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur; qui *indirecte*, nonnisi poenis ferendae sententiae sunt obnoxii (5).

(1) Cfr. Ball.-Palm., *l. c.* n. 900; Génicot, *l. c.* n. 379; Noldin, *l. c.* n. 430.

(2) Génicot, *l. c.*; Ball.-Palm., *l. c.*

(3) Cfr. *Instruct. S. O. 9 iun. 1915, ad Rev.mos locorum Ordinarios familiarumque religiosarum Moderatores super inviolabili sanctitate sigilli sacramentalis*, apud ephem. *Razón y Fé*, cit. a *Monitore ecclesiastico*, vol. IX, ser. III (1° giugno 1917), p. 199 ss.; cfr. etiam cc. 889, 890. S. Alph. (n. 657) docet tunc « licitum esse uti notitia confessionis, ubi nulla directa seu indirecta revelatio intervenit, nec ullum poenitentis vel minimum gravamen habetur, vi cuius minus facilis ac libera ipsi reddatur confessio ». Cfr. quae scitissime tradit Lugo (*l. c.* n. 102 s.) de indirecta revelatione.

Laeditur sigillum non modo si confessarius poenitenti exprobet peccatum, sed etiam si vultum ostendat severiorem, vel minus grate ei colloquatur; secus, si quid faciat ei acceptum gratumque. Ball.-Palm., *l. c.* n. 1011.

(4) Génicot, *l. c.* n. 380, II; Lehmkuhl., *l. c.* n. 598, III; Noldin, *l. c.* n. 430, 2.

(5) Cfr. cc. 2368, § 1, 2369, § 1.

58. — Violare praesumpserit. — Ut incurratur censura requiritur plena cognitio ac deliberatio (1). Hinc si quis violaret sigillum sacramentale ex imperfecta mentis advertentia aut semipleno voluntatis consensu, puta ex animi levitate vel imprudentia leviter culpabili, excommunicationem certe effugeret; seu quoties violatio sigilli constituit *formaliter* peccatum aut nullum aut solum veniale, toties censura non incurritur. Consulto diximus *formaliter*, nam, licet directa violatio non admittat parvitatem materiae, subiective tamen, ut in quolibet peccato, profecto haberi potest culpa levis ob actus humani imperfectionem aut conscientiam erroneam.

Item ab incurrenda censura excusat ignorantia crassa vel supina (2), et metus, etsi levis (cfr. n. 20 s.).

III.

« *Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam; et est ipso facto vitandus* » (can. 2343, § 1, 1°).

59. — Qui violentas manus. — Haec violenta manuum iniectio significat quamlibet iniuriam externam et graviter peccaminosam, quae non verbis aut minis sed factis, quomodolibet infertur, laedendo vel *corpus* vel *libertatem* aut *dignitatem*. Hinc patet triplici modo iniuriam inferri posse. Laeditur *corpus* per occisionem, vulnerationem, percussionem, deiectionem in terram etc. Laeditur *libertas* per incarcerationem, detentionem sub custodia, etiam in loco privato. Laeditur *dignitas* per vim utcumque illatam, v. gr. pileum vel baculum violenter detrahendo, sputo aut sordibus vestes foedando vel conscindendo etc. (3).

« Recte notant, ait S. Alphonsus (4), quod semper ac percussio existimetur graviter iniuriosa, ratione reverentiae clerico debitae, sufficiet ad censuram quaevis percussio levis, etiam si levissimus tactus physicus intercedat. » Quae theologorum regula, si generatim pro clericis omnibus valet, debitae ipsis reverentiae tuendae causa, a fortiori valet in casu nostro, in quo de persona agitur R. Pontificis vices Christi in terris gerentis. Exinde sequitur non re-

(1) Can. 2229, § 2.

(2) Can. cit. § 3, 1°.

(3) Suarez, *De censuris*, disp. XXII, sect. 1, n. 23 ss.; Pirhing, *l. c.* tit. XXXIX, n. 51; Schmalzgr., *l. c.* tit. XXXIX, n. 224.

(4) Lib. VII, n. 273.

quiri ad incurrendam censuram, ut actiones sint in se graves, sed sufficere ut honor seu dignitas ex morali hominum aestimatione graviter laedatur, quod profecto fieri potest etiam per actiones in se leves.

Iure antiquo auctores disputabant num excommunicatione irrogata contra « violentas manus suadente diabolo iniicientes in clericos vel utriusque sexus monachos, » plecterentur necne, mandantes, consulentes, consentientes, ratihabentes, non impedientes; item num censurae essent obnoxii impuberes (1).

Iure inspecto quo nunc regimur, negative omnino praefatae quaestioni respondemus. Sane censura eos omnes et solos attingit, quos legislator comprehendere voluit seu expresse nominavit; atqui in cit. canone nulla fit mentio de cooperatoribus ac de impuberibus; ergo. Etenim legislator, quippe qui probe cognoscebat auctorum controversias, ubi voluit eas dirimere, consulto diremit, ex. gr., ut alia omittamus exempla, de matre sibi abortum procurante (can. 2350, § 1) et de impuberibus clausuram monialium violantibus (can. 2230, 2342, 1°); praeterea ubi cooperatores ipsos censura plecti voluit, expresse significavit (can. 2345, 2346).

In personam Romani Pontificis iniecerit. — Excommunicatio specialissimo modo reservata Sedi Apostolicae lata est solum contra iniicientes violentas manus in Antistitis Maximi personam; nam qui istud crimen admiserint in personas Cardinalium, Episcoporum, clericorum et utriusque sexus religiosorum, subiacent excommunicationi reservatae aut speciali modo Apostolicae Sedi aut Ordinario proprio, ut suo loco dicetur.

60. — Est ipso facto vitandus. — Nemo est qui non videat quam peropportune haec gravissima poena statuta sit pro tuenda R. Pontificis persona (2). Huc revocentur quae supra (n. 33) dicta fuere.

IV.

« *Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit... incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam* » (can. 2320).

(1) Cfr. Ball.-Palm., VII, 448; Bucceroni, Comm. III, 41; Génicot, II, 594; Noldin, *De poenis eccl.*, 70; Lehmkuhl, *Casus*, I, n. 999, 1042.

(2) Qui violentas manus in personam R. P. iniecerit, fit etiam ipso iure infamis, et si clericus sit, degradandus est (can. 2343, § 1, 2°, 3°).

61. — Qui species consecratas. — Uti palam est, intelliguntur species sive panis sive vini, quolibet ritu valide consecratae. In dubio de consecratione, licet forte quis gravissime peccaret, nihilominus censuram non contraheret.

Abiecerit. — Abiectio, quae suapte natura gravem irreverentiam importat in species consecratas, multiplici modo contingere potest, scil. eas proiiciendo in terram vel in ignem aut cloacam, eas manu vel pede aliave re conculcando, eas sputo aut sordibus foedando.

Vel ad malum finem abduxerit. — Sive clam sive palam abductio fiat, censura certe incurritur. Necesse est *per se* finis graviter malus sit, puta ad maleficia, sortilegia, divinationes aliasque id genus superstitiones exercendas.

Nisi aliter constet ex circumstantiis, abductio sacrarum specierum censetur semper facta ad malum finem ideoque ut contracta censura est habenda.

Aut retinuerit. — Subintelligitur *ad malum finem;* nam sicut quis, clericus aut laicus, potest imo tenetur ad bonum finem, puta ne comburantur vel iniuriose tractentur, abducere species consecratas, ita quoque licet easdem retinere ex iusta causa ac debita cum reverentia, ut pluries factum fuisse historia luculenter docet pluraque documenta ecclesiastica confirmant (1).

Species retineri possunt occulte aut palam, domi vel alibi, apud se vel apud alios.

Triplicem actionum seu personarum classem hac censura (2) mulctari manifesto liquet ex dictis, nempe eos *a*) qui species consecratas abiiciant; *b*) qui ad malum finem abducant; *c*) qui, licet non abduxerint, ad malum finem retineant (3).

(1) Cfr. Baron. ad an. 57, n. 151, et ad an. 570; Gasparri, *De Eucharistia*, II, n. 971.

(2) Aliis quoque poenis plectuntur. Sunt enim suspecti de haeresi, ipso iure infames, et clerici praeterea sunt obnoxii poenae depositionis (can. cit.).

(3) Etiam excommunicationes quae statutae inveniuntur in Const. Pii X « *Vacante Sede Apostolica* » (quae omnem vim suam retinet; cfr. cc. 160, 2330), sunt aliquo sensu reservatae specialissimo modo Sedi Apostolicae, cum censuratus « a nullo, ne a Maiori quidem Poenitentiario, cuiuslibet facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit ». De iis infra. V. App., n. 184 ss.

Idem dicendum est de censura adnexa revelationi secreti S. Officii, quo tenentur universi administri seu officiales S. Congreg. S. Officii; nec non omnes qui aliquo munere in S. Congregatione Consistoriali fungantur, « in omnibus et singulis quae ad Episcoporum, Administratorum Apostolicorum aliorumque Ordinariorum electionem, vitam, mores agendique rationem delata sint; itemque in omnibus quae ad dioecesium erectionem seu earumdem unionem spectent, exceptis dumtaxat iis quae in fine et expeditione eorumdem

Articulus II.

De excommunicationibus speciali modo reservatis Apostolicae Sedi.

I.

« Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici incurrunt ipso facto excommunicationem » (can. 2314, § 1, 1°).

62. — Omnes. — Sive mares sive feminae, sive clerici (non tamen Cardinales) sive laici, tam subditi quam principes seu reges.

A christiana fide apostatae (1). — Dicuntur apostatae qui a fide christiana per baptismum suscepta totaliter defecerunt (2). Ut excommunicatio contrahatur, necesse omnino est *animo* quis defecerit a fide et, praeterea, internam defectionem *per actum externum*, verbis aut signis vel opere, manifestaverit, sive ad aliam sectam religiosam transierit, puta ad paganismum vel iudaismum, sive nullum cultum religiosum sit professus. Exinde patet non esse veros apostatas nec ideo censura plecti eos qui practicum indifferentismum sectantur et religionis christianae officia penitus negligunt, si reipsa a fide animo non defecerint. At qui externe deficit a fide, praesumitur defecisse etiam interne; proinde ut verus apostata is in foro externo habetur (3).

Apostatae, generatim loquendo, sunt athei, deistae, pantheistae, indifferentistae, materialistae, naturalistae et liberi, quos vo-

negotiorum legitime publicari contingat ». A qua excommunicatione « latae sententiae ipso facto et absque alia declaratione incurrenda, praeterquam in articulo mortis, a nullo, nisi a Summo Pontifice, ipso quidem Cardinali Poenitentiario excluso » potest quis absolvi. *Ordo servandus in Romana Curia*, Pars II. *Normae peculiares (de speciali mandato SS.mi Pii PP. X die 29 sept. 1908 vulgatae)*, cap. VII, art. II, n. 4; cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. I, p. 90. Has normas, ex parte qua cum novo iure haud discrepant, vigere adhuc compertissimum (cfr. cc. 6, 239, § 1, 1°).

(1) Aliter ac in iure antiquo (cfr. Const. « *Apost. Sedis* », ser. 1, n. 1) nulla fit mentio de *credentibus, receptoribus* etc. *Suspectos* vero *de haeresi* alius canon expresse memorat.

(2) Cfr. S. Th. 2-2, q. 10, a. 3; q. 20, a. 3; Suarez, disp. XXI, sect. 2, n. 3 ss.; Lehmkuhl, I, n. 413; Wilmers, *op. cit.* p. 634; Wernz, n. 261 ss.

(3) Schmalzgr., *l. c.*, tit. IX, n. 4 s.; cfr. Engel, *l. c.*, tit. IX, n. 4; Pirhing, *l. c.* tit. IX, n. 3 ss.; Reiffenst., *l. c.* tit. IX, n. 2 ss.; Devoti, *l. c.* tit. III.

cant, cogitatores. Recte monet Suarez (1), apostatas esse, qui aut possibilitatem aut existentiam christianae revelationis negant; nam, revelatione christiana denegata, tota religio seu fides catholica eo ipso corruit (2).

63. — Haeretici. — Haeresis (3) est error voluntarius et pertinax contra fidei veritatem. Dicitur *voluntarius*, quia si deest assensus positivus contrarius veritati fidei, seu formalis error intellectus, haeresis non habetur. Dicitur *pertinax*, quia ad formalem haeresim requiritur ea animi dispositio qua quis sciens et volens adversetur auctoritati Ecclesiae, quatenus suae opinioni adhaereat, non obstante quod noverit eam Ecclesiae auctoritati opponi (4). Dicitur *contra fidei veritatem*, i. e. contra aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis, quia si quis negaret non unam aliamve, sed omnes fidei veritates, esset apostata; item si negaret conclusionem theologicam, seu veritatem divinitus non revelatam ideoque haud credendam fide divina et catholica, haereticus non esset (5).

(1) *Loc. cit.* n. 5.

(2) Apostasia a fide confundenda non est cum apostasia a religione et *ab ordine sacro*, de qua scitissime disserunt, prae aliis, Suarez lib. III, c. 1, n. 1 ss.; Thesaurus, *De poenis eccl.*, v. *Apostasia*, c. 3 s.; Reiffenst., *l. c.* n. 7, 15; Schmalzgr., *l. c.* n. 11 ss.; Maschat, *l. c.* tit. IX, n. 3 s.; Devoti, *l. c.* n. 9; Ball.-Palm. *op. cit.*, IV, n. 243 ss.

(3) Cfr. can. 1325, § 2; S. Th., 2-2, q. 11; Suarez, *l. c.;* Lugo, *De Fide*, disp. XX, n. 1 ss.; Pirhing, *l. c.* tit. VII, n. 2; Reiffenst., *l. c.* tit. VII, n. 3 ss.; Schmalzgr., *l. c.* tit. VII, n. 1 ss.; Bonacina, *Opera moralia*, tit. III, disp. I, q. 2, p. 1, n. 1 ss.; Layman, *Theol. mor.*, tract. IV, dist. IV, q. 2, n. 20 ss.; Devoti, *l. c.* tit. IV; Ball.-Palm., *op. cit.* II, dub. III, *De haeresi*, n. 117 ss.; Billot, *op. cit.* I, p. 300 ss.; Wilmers, *l. c.;* Wernz, *l. c.* n. 280 ss.

(4) Hinc patet eos prorsus errare, qui censent pertinaciam tunc haberi, cum quis *mordicus* et *certa temporis mora* sententiam suam tuetur; neutra conditio ad genuinum pertinaciae conceptum requiritur.

(5) Cfr. S. Thom., *l. c.;* Lugo, *l. c.* n. 5; Ball.-Palm., *l. c.* n. 123.

Quaeri solet a doctoribus an haereticus censendus sit, qui negat assensum divinae revelationi privatae sibi factae, si sufficienter sit ei proposita. Quaestio uti patet, non est nisi de eo, cui divinitus revelatio immediate facta sit. Verior et communior sententia est, eum peccare contra fidem ac vere esse hoc peccatum infidelitatis. Lugo, *l. c.* n. 31. Ratio est, quia reapse Deo non credit. Attamen poenas haereticorum non incurrit nec ideo proprio sensu appellatur haereticus, cum a doctrina, quam Ecclesia proponit, non discedat. Ball.-Palm., *l. c.* n. 124.

Quaeritur an liberalismum profitentes, haeretici sint. Qua in re distinguendum est. Si quis plene amplectitur liberalismi doctrinam seu eius supprema capita, v. gr. *plenam* et *absolutam* independentiam Status ab Ecclesia vel, peius, subiectionem Ecclesiae Status auctoritati, ab haeresi excusa

64. — Sola haeresis *formalis* excommunicatione mulctatur, et ideo quidquid excusat ab haeresi proprie dicta, v. gr. ignorantia crassa et supina circa fidei veritates, excusat etiam a censura incurrenda (1).

Praeterea oportet haeresis interius concepta signo aliquo externo (2) manifestetur, et quidem manifestatione graviter culpabili, etsi forte occulte fiat et nemini prorsus innotescat.

Hinc ob defectum unius vel alterius e memoratis conditionibus, non contrahunt excommunicationem : *a*) qui haeresim profitentur bona fide; *b*) qui eam proferunt ex plena aut semiplena inadvertentia, puta in somno vel ebrietate; *c*) aut consilii petendi causa; *d*) qui eam exterius nullo modo manifestant, nec palam neve clam; *e*) nati seu educati in secta haeretica, modo sint revera in bona fide seu haeretici materiales tantum, ut de compluribus profecto retinendum est; attamen hi, ubi ad fidem catholicam redeunt, in foro externo ab excommunicatione absolvi debent.

Necesse ne est, ad incurrendam censuram, ut haereticus sectae acatholicae nomen dederit vel publice adhaeserit? Olim quidam theologi affirmabant; at iure novo est prorsus negandum, cum legislator expresse declaret haereticos censura mulctari, independenter ab eorumdem inscriptione vel publica adhaesione sectae acatholicae (3).

Item iure antiquo non pauci auctores docebant eum effugere excommunicationem, qui solum dubitaret de aliqua fidei veritate (4). Cum can. 1325, § 2 dicat : « si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis

non potest ; nam subordinatio Status ad Ecclesiam aperte continetur in suprema potestate qua Christus Petrum eiusque successores instruxit, ut Bonifacius VIII in Bulla « *Unam sanctam* » definivit. Idem foret dicendum de eo qui pertinaciter profiteretur quasdam doctrinas particulares quae fidei divinae adversantur, v. gr. eam (de matrimonio) quae prop. Syllabi 73ª prohibita est. Si e contra alios quis tueatur liberalismi errores, haereticus non est, licet temerarius et omnino improbandus.

Cfr. Génicot, I, n. 205, et praesertim Ball.-Palm. (*l. c.* n. 164 ss.), qui egregie hac de re disserit, singulas propositiones Syllabi referens easque examini subiiciens, ad notam theologicam quod spectat.

(1) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 3; Reiffenst., *l. c.* n. 6; Schmalzgr., *l. c.* n. 8; Ball.-Palm., *l. c.* n. 118; Génicot, II, n. 586, I; Bucceroni, *op. cit.* n. 9.

(2) Etiam *facto* potest quis haeresim profiteri, puta si abdita cordium scire vel futuras hominum liberas actiones, quae soli Deo patent, divinare conetur per tabulas rotantes, hypnotismum, etc., *dummodo haeresim facto implicitam adverterit*. Cfr. D'Annibale, *Comm. in Const. Apost. Sedis*, n. 41; Génicot, *l. c.* n. 586.

(3) Cfr. can. 2314, § 1, 1°, 3°.

(4) Cfr. Noldin, *l. c.* n. 50, 2; Strugg, *Theol. mor.*, tract. 4, q. 2, n. 12.

denegat *aut de ea dubitat, haereticus... est* »; nullum dubium quin dubitans, eo ipso quod haereticus est, haereticorum poenis sit obnoxius ideoque excommunicationem contrahat (1).

65. — Schismatici (2). — Schismaticus is dicitur qui « subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat » (can. 1325, § 2), seu qui, sive ex sola voluntatis malitia sive ex errore in doctrina fidei, subiectionem R. Pontifici denegat et ab Ecclesiae unitate se separat (3). Necesse est huiusmodi recessus sit *formalis* et *graviter culpabilis;* quod in foro externo semper praesumitur, nisi aliud constet ex adiunctis. Verum, ut diximus de haereticis, non requiritur ut schismaticus sectae acatholicae nomen dederit aut publice adhaeserit vel, eadem ratione, novam aliam sectam efformaverit (4).

66. — Incurrunt ipso facto excommunicationem. — Consulto dicitur simpliciter excommunicatio; nam censura est speciali modo Sedi Apostolicae reservata eo tantum in casu quo absolutio in foro conscientiae sit impertienda; secus, non adest huiusmodi reservatio, ut statim dicetur (5).

(1) V. S. Th., 2-2, q. 10, a. 5; q. 11, a. 1; Pirhing, *l. c.* n. 4; Reiffenst., *l. c.* n. 10; Schmalzgr., *l. c.* n. 15.

(2) Cfr. S. Th., 2-2, q. 39, a. 1; Pirhing, *l. c.* tit. VII, n. 1 ss.; Reiffenst., *l. c.* tit. VIII, n. 2 ss.; Schmalzgr., *l. c.* tit. VIII, n. 1 ss.; D' Annibale, *l. c.* n. 42; Ball.-Palm., VII, n. 426; Billot, *l. c.* p. 315; Wilmers, *l. c.* p. 640; Wernz, *l. c.* n. 354 ss.

(3) Schismatici proprie hi tantum sunt, qui spirituale imperium et auctoritatem R. Pontificis abiiciunt non autem qui renuunt obtemperare *ob rem praeceptam*, eo quod ipsis displicet, puta in ieiunio vel abstinentia aut die festo. Schismaticus quis esset ac censuram contraheret, si R. Pontifici pro tempore exsistenti nollet parere, quamvis promitteret se eius successori esse pariturum.

Ad *catholicos liberales* quod spectat, qui scil. publice se gerunt tamquam a R. Pontificis obedientia solutos, remur schismaticos esse adeoque excommunicatione plecti, *dummodo revera animum pertinacem habeant detrectandi obedientiam R. P.;* quae prava voluntas, ut opinamur, non raro abest. Cfr. Ball.-Palm., *l. c.;* Génicot, II, n. 588, Bucceroni, *l. c.* n. 15.

(4) Card. Urbis Vicarius (12 iul. 1878) Instruct. pro Urbe Roma declaraverat excommunicationem hanc, utpote fautores haereticorum, eos incurrere « qui, etiamsi animo haeresi non adhaereant, sese vel nomine tenus adscribunt sectae, cuiuscumque ea sit nominis, haereticae vel schismaticae, quacumque de causa id fiat ». Ex dictis manifesto colligitur excommunicationem hanc non amplius vigere.

(5) S. Poenit. die 4 aug. 1876, probante SSmo, declaravit in excommunicationem R. P. speciali modo reservatam incurrere « omnes et singulos societati,

67. — Absolutio ab excommunicatione propter delictum apostasiae, haeresis et schismatis. — « Absolutio ab excommunicatione de qua in § 1, in foro conscientiae impertienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata (1). Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio vero habetur iuridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus » (can. cit. § 2) - (2).

68. — Nomine Ordinarii loci intelligitur Episcopus residentialis, Vicarius Capitularis, Administrator Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*, Vicarius et Praefectus Apostolicus (can. 198, § 1). Necesse est, saltem de regula generali, Ordinarius recipiat abiurationem absolvatque per se vel per delegatum intra fines suae dioecesis; e contra apostata, haereticus vel schismaticus potest comparere coram *quolibet* loci Ordinario ut absolvatur a censura, quin

vulgo *Società cattolica per la rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano ed in ispecie al popolo romano nella elezione del R. Pontefice* nomen dantes vel eam promoventes, aut ei quomodocumque faventes vel adhaerentes ». Quam excommunicationem auctores referunt generatim ad ser. 1, n. 3, Const. « *Apost. Sedis* », quia ideo *nomen dantes* praefatae societati censurae subsunt, quatenus « expresse declarant se assentire doctrinis in programmate contentis, et coram duobus testibus obbligationem contrahunt se operam daturos ut tales doctrinae propugnentur et ipsa societas dilatetur ». Cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 223; Ball.-Palm., *l. c.* n. 452; Bucceroni, *l. c.* n. 16.

Cum nomen dantes memoratae societati, neque haeretici neque schismatici stricto sensu dici queant, excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae subesse non videntur, seu praefatam censuram hodie non amplius incurri arbitramur.

Item quidam (cfr. Bucceroni, *l. c.* n. 35) referunt ad ser. 1, n. 3, Const. « *Apost. Sedis* » excommunicationem in parochos intrusos statutam. Attento praescripto can. 2394, haec censura, nostra sententia, hodie non viget.

(1) Qui *pagellam* S. Poenitentiariae obtinuerint, possunt absolvere (n. 3) etiam a censura incursa propter haeresim, et quidem sive occultos sive etiam publicos haereticos, dummodo ne sint dogmatizantes (*S. Poenit. 26 mart. 1894*), dummodo scil. notorium non sit eosdem « falsa dogmata spargere », etsi non publice, privatim tamen, « modo uno, modo altero audiente, modo aliis paucis et sic deinceps ». *S. Poenit. 3 mart. 1880.*

(2) Abiuratio seu fidei professio facienda est iuxta Instruct. datam a S. O. die 20 iul. 1859; cfr. Ojetti, *Synopsis* etc. v. *Haereticus.*

opus sit recursu ad Ordinarium *proprium* ratione domicilii vel quasi-domicilii.

69. — Verba *servatis de iure servandis*, praeter inquisitionem (1) ante omnia faciendam de validitate baptismi in haeresi suscepti, significant apostatae vel haeretico iniungenda praesertim esse (2): *a*) salutarem poenitentiam pro culpae gravitate; *b*) scandali reparationem meliore quo fieri possit modo; *c*) denuntiationem, ubi requiratur (3); *d*) rescissionem cuiuslibet pacti cum secta aut forsan cum daemone ratione haereticalis superstitionis.

70. — Delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci deduci potest tum per publicam aut privatam denuntiationem, tum etiam per voluntariam confessionem haeretici seu apostatae, quatenus ipsemet coram Ordinario sponte compareat eiusque iudicio se subiiciat.

II.

« *Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis; quod si intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tamquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius* » (can. 2315).

« *Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can.* 1258, *suspectus de haeresi est* » (can. 2316).

71. — Suspectus de haeresi. — Non quodvis indicium seu coniectura sufficit, ut quis tamquam suspectus de haeresi haberi queat, sed omnino opus est iuridica suspicione, ea scil. quae ab ipsa lege canonica statuitur (4).

(1) Cfr. cit. Instruct. S. O. 20 iul. 1859.

(2) Cfr. Alberti, *Theol. pastoralis*, *Pars alt.*, Romae, 1904, p. 50.

(3) Iure novo putamus denuntiationem *necessario* faciendam non esse, nisi agatur de clericis et religiosis, qui nomen dederint sectae massonicae aliisque similibus associationibus, iuxta praescriptum can. 2336, § 2. Denuntiari debent, aliter ac antea, uni S. Congregationi S. Officii.

(4) Sunt ipso iure *suspecti de haeresi*:

1° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam (can. 2319, § 2);

Qui monitus causam suspicionis non removeat. — Compertum est, non sufficere paternam, quam vocant, monitionem, sed requiri iuridicam. Causa autem suspicionis removeri potest ac debet positive vel negative, explicite aut implicite, pro diversa agendi ratione qua suspicio nititur. Causa vero removenda est, licet quis in foro conscientiae nullo modo deliquerit rectaque intentione forte egerit; id enim ipsa naturalis lex suadet ac praecipit.

72. — Actibus legitimis prohibeatur, et clericus... suspendatur a divinis. — Haec verba poenam ferendae sententiae exprimunt, qua veluti congruo remedio utendum est antequam suspectus censura ipso iure mulctetur.

Quod si intra sex menses etc. habeatur tamquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius. — Sex menses supputandi sunt a die qua suspectus de haeresi fuit actibus legitimis prohibitus, vel, si clericus, a divinis suspensus. Quibus expletis mensibus, ipso facto haberi debet tamquam haereticus, quin opus sit speciali sententia, ipsoque iure proinde censuram contrahit in haereticos inflictam.

73. — Qui quoquo modo. — Sive scripto sive verbo, consilio vel pecunia aliave ratione, tam directe quam indirecte, per se vel per alios.

Haeresis propagationem. — Parum interest num propagatio fiat publice vel privatim, palam aut clam; at omnino requiritur, ut haeresis reipsa propagetur seu divulgetur ex praestito auxilio, secus, effectu non secuto, huic iuris praescripto locus non fit, cum versemur in odiosis.

Sponte et scienter iuvat. — Triplex cognitio requiritur: *a*) hanc illamve doctrinam esse haereticam; *b*) suam agendi ratio-

2° Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt (can. cit.);

3° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt (can. cit.);

4° Qui species consecratas abiecerint vel ad malum finem abduxerint aut retinuerint (can. 2320);

5° Omnes et singuli cuiuscumque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes (can. 2332);

6° Qui, obdurato animo, per annum insorduerint in censura excommunicationis (can. 2340, § 1);

7° Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint (can. 2371).

nem haeresis divulgationi vere prospicere; *c*) id vetitum esse sub poenis a iure statutis. Opus est ut *graviter* quis delinquat, secus censuram haud contrahit. Metus etiam levis excusat; item ignorantia, licet crassa aut supina.

74. — Qui communicat in divinis cum haereticis etc. — Non quaevis communicatio interdicitur, puta in profanis, sed ea tantum quae in divinis fit, contra praescriptum can. 1258: « Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum. Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque sollemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit ».

III.

« *In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes* » (can. 2318, § 1).

75. — Opere publici iuris facto. — Ut censura incurratur, necesse est, liber publice divulgetur, et quidem nonnisi post divulgationis factum, excommunicatio contrahitur. Hinc sequitur censuram non incurri: *a*) si paucissima exemplaria alicuius libri imprimantur, quae in publicam notitiam venire nequeant; *b*) si plura quidem imprimantur, at in vulgus non edenda; *c*) si, licet in vulgus edenda, tamen quavis de causa, puta ob auctoritatis civilis prohibitionem, liber reipsa non divulgetur.

76. — Editores. — Ii dicuntur editores, qui librorum impressionem suo nomine faciendam typographis committunt. Typographus et auctor non contrahunt censuram, nisi forte editores sint. Ideo gravis quaestio, quae iure antiquo erat circa *imprimentes*, sublata est (1).

(1) Cfr. Bucceroni, *Comment.*, III, n. 13; Pennacchi, *Comment. in Const.* « *Apost. Sedis* », II, p. 230 s.; D'Annibale, *Comment. in Const.* « *Apost. Sedis* », n. 38, nota 26; Wernz, III, n. 48, nota 117, 118.

Librorum. — Nomine *librorum* intelliguntur scripta, quae *non exiguae* omnino *molis* sint et *aliqua morali unitate ratione obiecti* constent ac *typis* sint impressa (1). Ob defectum prioris conditionis, non censentur libri, *ephemerides*, *folia*, *diaria*, *fasciculi* exigui, *libelli*, *opuscula*, *epistolae*, *conciones*, *libri fragmenta*, *folia ex libro prohibito separata* etc. Hinc S. O. 21 apr. 1880 declaravit : « scienter legentes ephemerides, propugnantes haeresim non incurrere hanc excommunicationem »; e contra ab eodem S. O. 13 ian. 1892 declaratum fuit censuram latam in legentes libros haereticorum eos incurrere « qui scienter legunt publicationes periodicas in *fasciculos* ligatas ». Ratio discriminis evidens est.

Ob alterius conditionis defectum, libri non sunt *anthologiae* seu *chrestomathiae*, quae partes ex haereticorum operibus depromptas continent, et generatim parvi fasciculi aut libelli diversi obiecti in unum volumen ligati; ob defectum postremae conditionis, nomine librorum non comprehenduntur *manuscripta* nec probabilius scripta lithographice impressa, saltem si pauca dumtaxat imprimantur exemplaria (2).

Apostatarum, haereticorum et schismaticorum. — Proinde excluduntur ethnici, iudaei, et a fortiori catholici, quamvis forte libros publicent haeresim propugnantes et sint de haeresi suspecti (3).

Qui (libri) apostasiam, haeresim, schisma propugnant. — Ad incurrendam censuram non sufficit ut liber sit conscriptus ab auctore apostata vel haeretico aut schismatico, sed praeterea necesse est liber propugnet apostasiam aut haeresim vel schisma. *Propugnare* vero est *data opera* tueri, rationibus *ex professo* vindicare, *docere*, non autem referre simpliciter seu continere (4) aut obiter tantum defendere (5). Quocirca excommunicatio eum non tenet, qui legit librum apostatae, haeretici vel schismatici, si errores contra

(1) Noldin, *Summa theol. mor.*, II, n. 701, edit. cit.; Gennari, *Della nuova disciplina sulla proibizione e sulla censura dei libri*, p. 25, ediz. III.

(2) Cfr. Vermeersch, *De prohibitione et censura librorum*, p. 40, 101, ed. II; Noldin, *l. c.*; Gennari, *op. cit.* p. 121.

(3) Cfr. Suarez, *l. c.*, disp. XXI, sect. 2, n. 1 ss.; S. Alph., VII, n. 286.

(4) Quod manifeste confirmatur declaratione S. C. Indicis. Interrogata « an legentes sive libros proprie dictos cuiusvis auctoris sive ephemerides *continentes haeresim*, incidant in censuram Indicis a s. m. Pii Pp. IX... renovatam et confirmatam » — die 27 april. 1880 respondendum censuit: « *Negative* ».

Agebatur praecise de censura contra legentes libros haereticorum haeresim propugnantes.

(5) Ball.-Palm., *l. c.* 424 ; D'Annibale, *op. cit.* n. 40; Gennari, *op. cit.* p. 29 s., 122.

fidem data opera non tueatur, licet eos contineat, imo et defendat, sed obiter.

77. — Eosdem libros aliosve per apostolicas litteras. — *Apostolicas litteras* intellige, quae nomine R. Pontificis *immediate* prodeunt sive in forma *Brevis* sive *Bullae* aut *Encyclicae* aut alia quavis forma, non autem acta seu decreta SS. Congregationum. Proinde libri proscripti sive a S. Congreg. S. Officii sive iure antiquo a S. Congreg. Indicis, quae nunc suppressa est, non comprehenduntur.

Nominatim prohibitos. — Vox *nominatim* significat requiri ut liber prohibeatur non formula quadam generica, sed *proprio eius titulo expresso*, ita ut clare exinde pateat pontificiam prohibitionem hunc determinatum librum afficere. Quaeri potest: 1° an comprehendantur libri iam per litteras apostolicas prohibiti, vel tantum libri in posterum proscribendi; 2° an opus sit, liber sub censura, et quanam, prohibeatur.

Ad primum, respondendum est, nihil referre, utrum ante vel post editum Codicem libri sint damnati; ad secundum, putamus requiri et sufficere ut libri sint prohibiti sub excommunicatione R. Pontifici reservata (1) quin necesse sit prohibeantur expresse sub censura *simpliciter* aut, eo minus, *speciali modo* R. Pontifici reservata ut, ni fallimur, plane immerito quidam auctores sunt opinati.

Defendentes, scil. qui facto aut verbo librum tuentur, puta qui illum occultant, ne comburatur aut denuntietur: qui suadere conantur, librum bonum esse atque ideo non dignum prohibitione; qui pravam doctrinam in eo contentam tueri conantur et ab omni labe defendere. Non comprehenduntur hac censura ii, qui stilum, eloquentiam, phrasim, ingenium auctoris laudant, dummodo ne arguant laudem et approbationem libri; aliter enim foret dicendum, si praefata verba in ipsius libri laudem atque approbationem cederent (2).

Scienter. — Haec vox refertur tam ad legentes quam ad retinentes, et multiplicem cognitionem importat. Necesse est ut quis fama publica aut a viro fide digno noverit: *a*) librum esse apostatae vel haeretici aut schismatici, simulque propugnare apostasiam, haeresim aut schisma: vel *b*) librum esse prohibitum per litteras apostolicas; in utroque casu *c*) lectionem vel retentionem

(1) Cfr. Bucceroni, *l. c.* n. 13; Noldin, *l. c.* n. 52, 2; Laurentius, *Institutiones iuris ecclesiastici*, n. 535, edit. III.

(2) Lugo, *De Fide*, disp. XXI, n. 94: D'Annibale, *op. cit.* n. 40 s.; Ball.-Palm., *l. c.* n. 425.

vetitam esse sub poena censurae (1). Ignorantia etiam crassa et supina, non tamen affectata, excusat.

Sine debita licentia. — Facultas legendi retinendique libros prohibitos conceditur a S. C. S. Officii (can. 247, § 4). Ordinarii licentiam, ad libros quod attinet ipso iure vel decreto Sedis Apostolicae proscriptos, concedere suis subditis valent pro singulis tantum libris atque in casibus dumtaxat urgentioribus (can. 1402, § 1). At Sedes Apostolica iisdem Ordinariis tribuere solet etiam generalem facultatem permittendi subditis ut libros prohibitos retineant ac legant. Quae facultas aliis quoque personis de religione optime meritis non raro conceditur.

78. — Legentes. — Librum *legere* dicuntur, qui propriis ipsi oculis librum inspicientes, intelligunt quae scripta sunt. Proinde non dicuntur *legere*, qui alios legentes audiunt, nec qui memoriter ex libro aliquid recitant, nec qui ex ignorantia idiomatis, quae legunt, non intelligunt (2). Num *legere* dicatur qui alium legentem audit, quem ipse precibus aut iussione ad legendum induxerit, non convenit inter doctores. S. Alphonsus (3) probabilem habet sententiam negativam. Nostro iudicio, res cum re confunditur a non paucis auctoribus. Sane, aliud est quaerere, num habendus sit ut *legens* qui alium precibus vel iussione ad legendum induxerit, et aliud est inquirere, num hic *mandans* vel *consulens* censura plectatur. Porro qui precibus aut iussione alium inducit ad legendum, revera non legit ipse, sed alius, ideoque censemus, ex hoc capite non contrahi excommunicationem; nec ratione *consilii* vel *mandati* contrahitur, nostra sententia, excommunicatio, quia canon de mandantibus et consulentibus minime loquitur.

Ad censuram incurrendam requiritur materia notabilis seu sufficiens ad mortale peccatum. Porro discrepant doctores in quantitatis determinatione. Probabilius distinguendum videtur: si materia sit valde periculosa, puta si errores contra fidem vel mores liber contineat, graviter peccat qui paucas etiam lineas legit, cum magnum adsit perversionis periculum, quod removere intendit Ecclesiae prohibitio: ubi vero agatur de materia indifferenti omnino aut quasi indifferenti, seu quae nullum aut fere nullum inducit periculum perversionis, plures paginas ad gravem culpam requiri opinamur (4).

(1) Ball.-Palm., *l. c.* n. 424.

(2) Lugo, *l. c.* n. 75; D'Annibale, *Summula* etc., III, 141, nota 10; Noldin, *op. cit.* n. 702 b.; Bucceroni, *l. c.*

(3) Lib. VII, n. 292.

(4) Cfr. Vermeersch. *op. cit.* n. 28; Génicot, I, n. 455, I; Noldin, *op. cit.* II, n. 700.

79. — Retinentes. — Dicuntur *retinere*, qui librum sive proprium sive alienum, puta depositum vel locatum, apud se aut apud alios debitam licentiam non habentes, retinent. Ut mortale peccatum constituat retentio, ratione censurae incurrendae, oportet liber per tempus notabile retineatur. Certum est graviter eum peccare, qui librum prohibitum ultra mensem retineat, nisi forte rationabili causa excusetur, ex. gr. si veniam legendi expectet aut occasionem tradendi facultatem habenti; infra mensem, retentio, secluso scandalo et perversionis periculo, gravis non videtur, saltem generatim loquendo (1).

Attento praescripto can. 1401, censemus hac censura non teneri Episcopos, etiam titulares, aliosque Ordinarios.

IV.

« *Ad ordinem sacerdotalem non promotus: si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit, excommunicationem ipso facto contrahit, speciali modo Sedi Apostolicae reservatam* » (can. 2322, § 1).

80. — Ad ordinem sacerdotalem non promotus. — Sive laicus sive clericus, sive hic in minoribus tantum sit constitutus Ordinibus sive in sacris, dummodo sacerdotio nondum sit auctus, censurae subiicitur. Sacerdos e contra huic excommunicationi obnoxius non est, licet forte crimen simulationis vel dissimulationis in Sacro faciendo aut confessione excipienda admittat. Ratio ex dicendis patebit.

Si Missae celebrationem simulaverit. — Simulatio in genere est ficta positio signi, seu ficta positio actionis, quatenus aliud significat, quam agens in mente habet. Ad sacramenta quod attinet, simulatio est ficta positio signi sacramentalis, i. e. positio actionis sacramentalis, quin sacramentum conficiatur. Id autem multiplici modo contingere potest, scil.: 1° si quis applicat materiam et formam sine intentione conficiendi sacramentum: 2° si formam invalidam super materiam proferat; 3° si materia ex occulto defectu invalida utatur. Simulatio est formalis et materialis: *formalis*, si deceptio aliorum, qui putant verum confici sacramentum, intenditur; *materialis*, si praevisa aliorum deceptio permittitur tantum. A *simulatione* proprie dicta distinguenda est *dissimulatio* sacra-

(1) Cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 142; Gennari, *op. cit.* p. 119 s.; Noldin, *l. c.* n. 700 c.

menti, cuius nomine intelligitur positio actionis non sacramentalis in iis adiunctis, in quibus alii falso existimant sacramentum confici aut conferri (1). Haec, iuxta communem theologorum doctrinam, sunt dicta. Verum simulatio, de qua heic sermo occurrit, respicit invaliditatem sacrificii Missae non ob defectum intentionis aut materiae vel formae requisitae, sed ob carentiam presbyteratus, cum solis presbyteris ex divina ordinatione sit potestas Sacrum faciendi. Hinc laici aut clerici, sacerdotio nondum aucti, qui Missam celebrant seu actiones liturgicas Missae peragunt, sive verba consecrationis proferant aut non, sive valida aut invalida utantur materia, modo alii, putantes Sacrum fieri, in errorem inducantur, certe excommunicationem contrahunt.

81. — Aut sacramentalem confessionem exceperit. — Quae de Missae simulatione diximus, eadem, congrua congruis referendo, etiam de confessione a laico vel a clerico excepta dicenda sunt. Parum interest, utrum in ecclesia seu loco sacro vel alibi, utrum in confessionali aut extra, puta ad moribundi lectulum, laicus clericusve confessionem audierit.

Canon loquitur expresse *de sacramentali confessione;* quod sedulo attendatur oportet. Ut vero confessio sacramentalis sit, tria requiruntur: 1° confessio fieri debet *sacerdoti competenti*, qui talis vere est aut saltem putatur; ideo confessio quae scienter fiat ei, qui non est sacerdos, aut sacerdoti, qui iurisdictione carere dignoscitur, sacramentalis non est; 2° fieri debet cum *intentione obtinendi absolutionem;* quare confessio quae fiat sacerdoti, solatii tantum aut consilii causa, non est sacramentalis; 3° serio manifestari debet saltem *unum peccatum verum* aut *existimatum;* proinde si nullum peccatum mortale aut veniale, accusetur, confessio sacramentalis non est (2).

Ubi confessio non sit sacramentalis, ob defectum unius alteriusve ex memoratis conditionibus, censura non contrahitur.

Ut in excommunicationem incurrat clericus vel laicus necesse non est verba absolutionis proferat; sufficit ut poenitens ex ipsius agendi ratione existimet verum eum esse confessarium seque ab eodem valide absolvi, licet fortasse adstantibus res nota sit. E contra, si adstantes putent audientem confessionem esse verum confessarium, poenitens autem ut talem eum non habeat, excommunicatio non incurritur, quia tunc sacramentalis confessio deest.

(1) Cfr. S. Alph., VI, n. 59; Ball.-Palm., IV, *De Sacramentis in genere*, n. 63 s.; Lehmkuhl, *l. c.* II, n. 60; Noldin, *op. cit.*, III, *De Sacramentis*, n. 38 s.

(2) Cfr. Lugo, *op. cit.*, disp. XXIII, n. 43; Suarez, *De poenit.*, disp. XXXIII, sect. 2, n. 6; Schmalzgr., *l. c.*, tit. XXXIX, n. 60.

Qui alia sacramenta simulaverit aliave munia sacerdotalia usurpaverit, hac censura non tenetur.

V.

« Omnes et singuli cuiuscumque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes, sunt suspecti de haeresi et ipso facto contrahunt excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam » (can. 2332).

82. — Omnes et singuli. — Personae *physicae* indicantur quaecumque, non autem personae *morales*, quae interdictum incurrunt.

Cuiuscumque status, gradus seu conditionis etc. — Nulla datur exceptio, ita ut omnes quovis munere fungantur quavisque dignitate praefulgeant, etiam principes et reges, necnon Episcopi et Cardinales, censuram contrahunt.

A legibus, decretis, mandatis. — *Lex*, ut docet Angelicus, est « ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata » (1). Proinde: *a*) a suprema tantum potestate conditur; *b*) stabilis est atque natura sua permanens; *c*) pro communitate fertur.

Decretum a quavis potestate, etiam inferiore, condi potest, et, licet generaliter feratur, tamen communitatem semper ac necessario non respicit, cum pro aliis quoque personis physicis aut moralibus ferri possit.

Mandatum generatim est praeceptum, vel ordinatio quae ab eo etiam qui caret iurisdictione edi potest, vi dominativae aut administrativae potestatis qua gaudeat; communiter transitorium est; fertur aut ad singularem tantum actum, aut pro certo solum tempore, vel ad singulares dumtaxat personas (2). Nomine *mandati* intelligi debet etiam sententia a iudice lata.

Hinc manifestum est discrimen inter leges, decreta et mandata, de quibus distincte loquitur canon.

Romani Pontificis pro tempore exsistentis. — Censura non incurritur nisi leges, decreta et mandata *immediate* prodierint a Romano Pontifice, non autem ab Episcopis aliisque in Ecclesia

(1) *Summ. theol.*, 1-2, q. 90, a. 4.

(2) Cfr. Suarez, *De legibus*, lib. I, cap. 6, n. 1 ss.; cap. 7, n. 6 ss.; cap. 8, n. 1 ss.; D'Annibale, I, n. 161 s.; Wernz, I, n. 89; Lehmkuhl, I, n. 146.

iurisdictione seu potestate pollentibus, aut a Sacris Congregationibus vel Tribunalibus aut Officiis Curiae Romanae, dummodo decretum vel mandatum (de lege, nulla potest fieri quaestio) non fuerit editum *de expresso* seu *speciali mandato* ipsius R. Pontificis, aut ab eodem approbatum fuerit *in forma specifica;* quo in casu, ut omnes docent canonistae (1), actum fit vere et proprie pontificium.

Praeterea necesse est, ad censuram contrahendam, ut quis appellet a lege vel decreto aut mandato R. Pontificis *viventis*, non vero iam defuncti.

Ad Universale Concilium. — Concilium oecumenicum stricte sumptum intelligi debet, non autem Concilium provinciale vel nationale. Censura non contrahitur si appellatio fiat ad futurum Pontificem. Iure antiquo nonnisi appellantes ad *futurum* Concilium excommunicatio tenebat; iure novo, cum vox « *futurum* » consulto sublata fuerit, censura incurritur sive appellatio fiat ad futurum sive ad praesens Concilium universale. Et merito quidem; nam utroque in casu gravissimum inobedientiae et iniuriae scelus admittitur in R. Pontificem.

83. — Appellantes (2). — Appellatio est provocatio ab inferiore ad superiorem. Ut censura contrahatur, oportet quis provocet a lege vel decreto aut mandato R. Pontificis ad Concilium universale, hoc habens tamquam superius Pontifice, quatenus eiusdem acta corrigere aut reformare queat. Si quavis alia ratione, puta solemnitatis causa, quis provocaret ad Concilii oecumenici auctoritatem, atque id *certo* constaret, excommunicationem non incurreret. Ita, cum versemur in odiosis, opinamur, salvo sapientiorum iudicio.

Nunc, aliter ac antea (3), censura non tenentur ii, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

VI.

« Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis pro-

(1) Cfr. Barbosa, *De clausulis*, 82, 177; Pirhing, lib. II, tit. XXX, n. 8; Reiffenst., lib. II, tit. XXX, n. 17; Schmalzgr., lib. II, tit. XXX, n. 23; Cappello, *De Curia Romana*, I, p. 54.

(2) Reiffenst., *l. c.* tit. XXVIII, n. 1 ss.; Schmalzgr., *l. c.* tit. XXVIII, n. 3 ss.; Devoti, lib. III, tit. 5; Bouix, *De iudiciis* (Parisiis, 1855), II, p. 246.

(3) Cfr. Const. « *Apost. Sedis* », ser. 1, n. 4.

fecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes, ipso facto subiaceant excommunicationi Sedi Apostolicae speciali modo reservatae » (can. 2333).

84. — Recurrentes. — Sive immediate sive mediate, i. e. sive per se sive per alios recurrant, tam scripto quam voce aliove modo.

Ad laicam potestatem. — Quaecumque ea sit, sive suprema ive inferior, sive iurisdictionis sive administrativa tantum, cum verba sint accipienda prout sonant, ideoque putamus nequaquam esse restringenda ad potestatem iurisdictionis, ut iure antiquo nonnulli auctores opinabantur (1). Sane potestas laica est iurisdictionis et administrativa (2), utraque vera ac propria potestas, iuxta communem iurisperitorum doctrinam (3); quocirca, cum legislator non distinguat, nullum profecto interpreti est ius distinguendi. Proinde censuram quis contrahit sive ad Gubernium vel ad magistratus seu iudices recurrat, sive ad praesidem aut urbis praefectum aliosve potestate etiam mere administrativa pollentes, dummodo, iuxta cuiuslibet Status proprias leges seu constitutiones, de vera potestate administrativa, non autem de simplici, quam vocant, *politia* agatur (4).

Ex noto iuris principio, remur excommunicationem haud incurri, nisi effectu secuto; quod, propter eamdem rationem, dicendum quoque est de prohibitione, laesione et perterrefactione.

Ad impediendas litteras. — Nomine *litterarum* intelliguntur Bullae, Brevia, Encyclicae, Constitutiones, Epistolae aliaque documenta quavis forma exarata, modo ab apostolica auctoritate dimanent.

Vel acta quaelibet. — Vox *quaelibet* aperto significat omnia

(1) Cfr. Bucceroni, *l. c.* n. 22; Noldin, *De poenis*, n. 60.

(2) Cfr. Persico, *Principii di diritto amministrativo* (Napoli, 1853), II, p. 280; Mattirolo, *Trattato di diritto giudiziario* (Torino, 1876), I, p. 263 ss.; De Giovanni G., *Corso di diritto pubblico amministrativo* (Firenze, 1881), I, p. 8 s.; Meucci, *Istituzioni di diritto amministrativo* (Roma, 1887), I, p. 3 ss.; Orlando, *Principii di diritto amministrativo* (Firenze, 1892), p. 4 ss.

(3) Etiam canonistae passim loquuntur de potestate ecclesiastica *administrativa*, ita ut traditam distinctionem in utraque schola esse receptam compertissimum sit. Cfr. Nasoni, *Iur. can. compendium* (Mediolani, 1897), I, p. 35 ss.; Bachofen, *Summa iuris ecclesiastici publici* (Romae, 1910), p. 48; Cappello, *De Curia Romana*, I, p. 48 ss.; Rivet, *Inst. iur. eccl. priv.* (Romae, 1914), p. 253, 382.

(4) Cfr. Ball.-Palm., VII, n. 432.

et singula acta comprehendi, sive gratiae sive iustitiae, sive spirituale negotium attingant sive temporale, modo sint iuris ecclesiastici seu spiritualis (1).

A Sede Apostolica. — Nomine *Sedis Apostolicae* veniunt etiam Sacrae Congregationes, Tribunalia et Officia Curiae Romanae (2); hinc patet comprehendi litteras et acta omnia, quae sive immediate sive mediate, R. Pontificis auctoritate geruntur.

Vel ab eiusdem Legatis. — Ius antiquum commemorabat etiam *Delegatos quoscumque*. Legati sunt: *a) Legati a latere* seu Cardinales qui a Summo Pontifice tamquam *alter ego* cum hoc titulo mittuntur; *b) Nuntii* aut *Internuntii*, qui personam et auctoritatem R. Pontificis repraesentant, praesertim in iis quae ad relationes inter Sedem Apostolicam et civilia Gubernia spectant, et in territorio sibi assignato advigilare debent in Ecclesiarum statum et R. Pontificem de eodem certiorem reddere; *c) Delegati Apostolici*, qui legatione non funguntur apud civilia Gubernia, quibusque munus est advigilandi in statum Ecclesiarum et certiorem de eo faciendi R. Pontificem (can. 267).

Profecta. — Agitur de litteris vel actis iam editis, non autem de edendis. Ideo excommunicationem hanc effugit qui impedit ne ab auctoritate apostolica acta proficiscantur seu exarentur.

85. — Eorumve promulgationem. — Ut palam est, vox « *eorum* » refertur sive ad litteras sive ad acta quaelibet. Stricte heic sumi debet, i. e. sensu iuridico, promulgatio, quae communiter apud auctores definitur: legis publicatio seu *intimatio* communitati facta auctoritate illius, qui curam habet eiusdem communitatis (4). Idcirco promulgatio non est confundenda cum divulgatione aut notitia legis, ut egregie ostendit eximius Suarez (5).

Vel exsecutionem, i. e. omnia quae sunt necessaria ut litterae actave apostolica effectum habeant atque ii, ad quos pertinent, illis uti possint; ex. gr. si prohibeantur tabelliones instrumenta conficere aut confecta partibus tradere, vel partes iisdem acceptis uti.

Directe vel indirecte prohibentes (6). — Prohibitio respicit

(1) Ball.-Palm., *l. c.*; Bucceroni, *l. c.*

(2) Cfr. can. 7; decl. S. O. 13 ian. 1892.

(3) Const. « *Apost. Sedis* », ser. 1, n. 8.

(4) Cfr. Suarez, *De legibus*, lib. I, cap. 11, n. 1 ss.; Wernz, I, n. 100.

(5) *Loc. cit.*, lib. III, cap. 16, n. 3.

(6) Qui recurrunt ad laicam potestatem ut impediant concessionem *R. Exequatur*, quod vocant, aut prohibent ne exsecutioni tradatur Bulla seu Decretum pontificium, puta de beneficio conferendo vel uniendo, hac censura plectuntur. Aliter dicendum de iis qui impediant concessionem *R. Placet*, vel exsecutionem Decreti episcopalis. Sane palam est, iuridice loquendo, aliud

sive promulgationem sive exsecutionem. Iure antiquo controvertebatur, utrum ad incurrendam hanc censuram, oporteret, ut publicatio vel exsecutio prohiberetur auctoritate publica (1). Cum legislator, quem certe non latebat auctorum controversia, expresse non declaraverit, uti compertum est quoad alios casus fecisse (cfr. cc. 2318, § 1, 2334, 2°, 2350), censuram afficere etiam prohibentes auctoritate privata, dubitandum non est quin, mente legislatoris inspecta, mitior sententia hac in re sit amplectenda.

86. — Aut eorum causa, i. e. laesio aut perterrefactio fieri debet *ob litteras vel acta apostolica*, non alia quavis ratione, quamvis fortasse propter odium in religionem aut Sedem Apostolicam.

Sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios. — Ii ad quos pertinent litterae vel acta sunt, ut manifestum est, *partes ipsae* seu *oratores;* nomine vero *aliorum* non ceteri omnes indiscriminatim veniunt, sed illi tantum ad quos spectat publicatio aut exsecutio litterarum seu actorum, vel qui cum rescripto apostolico in aliqua sunt relatione aut esse putantur, aut quomodolibet cum partibus coniuncti sunt (2).

87. — Laedentes, scil. qui damnum, *grave* equidem, in bonis corporis inferunt; non item, ut improbabiliter nonnulli auctores sunt opinati (3), in bonis fortunae aut animae, i. e. honore et fama. Laesio enim stricte ac proprie sumpta corpus dumtaxat afficere dicitur.

88. — Perterrefacientes; qui nempe metum valde gravem seu verbis seu scripto aliove modo inferunt, ex quo rationabiliter praesumatur quis graviter permoveri.

esse *R. Exequatur* et aliud *R. Placet.* Hoc respicit, in re ecclesiastica, acta *episcopalia;* illud, e contra acta pontificia seu Apostolicae Sedis. Ad Italiam quod attinet, cfr. *Decreto 26 luglio 1863, n. 1374, art. 1, 7; Regolamento 26 luglio 1863, art. 1, 5, 6; R. Decreto 12 luglio 1864, n. 1848; Legge 13 maggio 1871, n. 214, art. 16; Decreto 25 giugno 1871, n. 1529, art. 1, 3, 5.* V. Grassi, *Manuale di legislazione e giurisprudenza italiana in ordine al diritto pubblico ecclesiastico* (Firenze, 1879), p. 253 ss.; Fino, *Guida pratica del beneficiato* (Torino, 1910), p. 8; Cappello, *Institutiones iuris publ. eccl.*, I, p. 401.

Verum qui impediunt concessionem *R. Placet* seu exsecutionem decretorum episcopalium, in excommunicationem incurrunt, positis ponendis, contra *impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae* statutam, de qua infra.

(1) Cfr. D'Annibale, *Summula*, I, n. 390, nota 8; Ball.-Palm., *l. c.* n. 432; Bucceroni, *l. c.* n. 22; Noldin, *l. c.* n. 60.

(2) Lehmkuhl, *l. c.* n. 1199; D'Annibale, *l. c.* n. 76; Pennacchi, *l. c.* p. 283; Pighi, *l. c.* n. 489.

(3) Cfr. Noldin, *l. c.* n. 60.

Controvertitur an laedentes et perterrefacientes excommunicatione plectantur, licet effectus impediendi non sequatur. Qua de re duplex habetur auctorum sententia. Quidam (1) censent censuram haud incurri, nisi litterae seu acta pontificia fuerint reipsa impedita; alii opinantur, effectu non secuto, excommunicari laedentes, non autem perterrefacientes (2).

Cum Ecclesiae mens, ut liquet ex verbis ipsis canonis, sit libertatem ac dignitatem Sedis Apostolicae eiusque Legatorum tueri quoad litteras et acta, ne ullo modo ulloque praetextu eadem impediantur, putamus, effectu tantum secuto, sive laedentes sive perterrefacientes excommunicatione plecti. Cur nam a patronis secundae sententiae ponitur discrimen inter laesionem et perterrefactionem? Nonne utraque actio censura mulctatur, in quantum est vel *impedimentum efficax*, vel *exterius graviter culpabilis?* Porro id, pari profecto ratione, locum habet tam de laedentibus quam de perterrefacientibus; quocirca si auctores communiter docent perterrefacientes, nonnisi effectu secuto censura teneri, eamdem doctrinam applicandam esse laedentibus arbitramur, cum iuris praescriptum nullum hac de re ponat discrimen inter laedentes et perterrefacientes (3).

VII.

« *Excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur:* 1° *Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt;* 2° *Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem* » (can. 2334).

89. — Qui leges, mandata vel decreta. — Ad verborum significationem quod attinent, vide n. 82. Agitur de iis omnibus et

(1) D'Annibale, *l. c.*

(2) Pennacchi, *l. c.;* Bucceroni, *l. c.* n. 22; Lehmkuhl, *l. c.*

(3) Clariss. Lehmkuhl (*l. c.* 3) haec habet: « Cum non solum laedentes, sed etiam perterrefacientes nominentur, *sine ullo dubio* non solum executor, sed etiam *mandans* comprehenditur, qui verissime, etsi non laedat, tamen *terret* ». Hanc sententiam vere probabilem censemus, etiam iure novo, nec quidquam in contrarium erui potest ex praescripto cc. 2338, § 3, 2315, ubi legislator nominatim *mandantes* memorat; nam de actionibus plane diversis agitur, quae, secus ac perterrefactio, *expressam* cooperatorum, si opus sit, *designationem* postulant.

solis actis, quae a publica auctoritate dimanant quaeque libertati aut iuribus Ecclesiae adversari possunt (1).

Contra libertatem aut iura Ecclesiae. — Haec verba sensu latissimo accipi debent, ita ut omne prorsus feriant legum vel mandatorum aut decretorum genus, « quibus nedum exercitium potestatis ecclesiasticae sive iurisdictionis sive ordinis, sed quodvis aliud ius intercipitur, restringitur, perturbatur, ut ius docendi, promovendi ad beneficia, publicas supplicationes extra templum vel noctu obeundi, ecclesias, beneficia, pia sodalitia erigendi, conferendi beneficia sine ullo interventu laicae potestatis, imo et iura, quae Ecclesiae uti societati competunt, ut ius acquirendi actibus ultimae voluntatis vel inter vivos, alienandi, elocandi bona sua etc. » (2).

90. — Edunt, i. e. qui leges vel decreta aut mandata condunt *auctoritate* sua vel iisdem condendis *suffragio* concurrunt. Huic excommunicationi subiacent: *a*) *principes* seu *reges*, quotquot nempe suprema potestate in republica pollent; *b*) *praefectus urbis*, *syndicus communitatis*, et generatim universi rectores provinciarum et civitatum; *c*) *deputati* sive ad comitia imperii sive ad comitia provinciae; *d*) *consiliarii* municipiorum; *e*) *populus*, si legibus seu decretis edendis ipsemet suffragetur (3).

Hac censura non tenentur, ut liquido patet ex dictis, praecones, qui evulgant; tabelliones, qui in acta referunt aut iuxta ea conficiunt acta; magistratus, qui ex eis ius dicunt (4).

91. — Qui impediunt (5). — Quicumque ii sint, sive publica agant auctoritate sive privata, sive verbis aut scripto aut facto aliquo, puta vi, minis etc. Necesse est, ut effectus obtineatur, seu ut *reipsa impediant*, secus censura non contrahitur (6).

Directe vel indirecte. — Impedit *directe*, qui obstat personae iurisdictione praeditae, ex. gr. si minetur necem Episcopo, ne censuram ferat, ne parochum instituat, ne dispensationes concedat etc.; *indirecte*, qui obstat efficaciter in alia re, vel in alia persona, ex. gr. bona Episcopi sequestrando, officiales aut familiares eius vexando,

(1) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 78 ss.; Bonacina, disp. I, quaest. XVI, sect. II, punct. 1 et 2.

(2) Ball.-Palm., *l. c.* n. 431; D'Annibale, *l. c.* n. 68.

(3) Cfr. Noldin, *l. c.* n. 59; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1197. Qui suffragium ferunt, censuram haud contrahunt, nisi suffragium fuerit efficax, et lex promulgata; donec enim lex non sit promulgata, *formaliter* non est lex. Can. 8, § 1.

(4) Ball.-Palm., *l. c.*

(5) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 95.

(6) D'Annibale, *l. c.* n. 57; Ball.-Palm., *l. c.* n. 429; Ciolli, *l. c.* n. 91; Marc, *l. c.* n. 1320, VII; Génicot, *l. c.*

ita ut exercitium iurisdictionis ecclesiasticae exinde impeditum iri contingat (1).

Exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. — *Exercitium*, non autem effectus eiusdem, vel causa aut occasio; ideo hanc censuram effugit, ex. gr., qui prohibet ne iudicem ecclesiasticum actor adeat, qui Episcopum vexat ob sententiam latam, qui parochum rite electum persequitur, qui bona beneficii canonice constituti dilapidet etc.

Iurisdictionis, intelligas, sive ordinariae sive delegatae, sive voluntariae sive contentiosae; non vero *potestatis Ordinis*, cuiusmodi sunt sacra obire, ecclesias vel altaria consecrare, personis rebusve benedicere, et similia; nec *potestatis* mere *administrativae*, uti, ex. gr., rectores ecclesiarum eligere, approbare pias uniones, advigilare in piorum voluntatum exsecutionem etc. (2) Neque agitur de exercitio iuris naturalis, uti est bona temporalia acquirere aut possidere vel alienare, testari, varios contractus inire (3).

Ecclesiasticae, scil. Ecclesiae catholicae, seu de ea iurisdictione est sermo, quae a Romano Pontifice, tamquam Christi Domini Vicario et Ecclesiae visibili Capite, promanat, et clericis competit, quatenus clerici sunt. Attamen non agitur de exercitio privilegiorum, quibus gaudent Superiores religiosi (4).

Sive interni sive externi fori. — Ad potestatem iurisdictionis fori externi pertinet edere leges ac mandata, iudicia exercere, poenas irrogare, latas sententias exsequi etc. Ad iurisdictionem fori interni maxime pertinet absolvere a peccatis et a censuris, dispensationes vel condonationes aut relaxationes pro foro conscientiae concedere; eiusmodi sunt generatim negotia quae a S. Poenitentiaria geruntur.

Ad hoc recurrentes. — In iure antiquo habebatur particula *et*, scil. « *et ad hoc recurrentes* » (5), quae iuxta communem doctorum sententiam (6), alteram personarum classem, censurae subiectam, indicabat. Cum autem praefata particula consulto fuerit a legislatore omissa, dicendum est, verbum « *recurrentes* » conditionem, ut excommunicatio contrahatur, non vero alteram personarum

(1) Marc, *l. c.;* Bucceroni, *l. c.* n. 19; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1193; Pighi *l. c.* n. 487.

(2) Cfr. Wernz, II, n. 756. Iuxta quosdam auctores, praesertim veteres, praedicatio et dioecesis visitatio non pertinent ad potestatem administrativam, sed proprie ad potestatem iurisdictionis stricte sumptae; at immerito id affirmari, ex textibus iuris palam est.

(3) Cfr. Ball.-Palm., *l. c.* n. 429; Bucceroni, *l. c.* n. 19; Ciolli, *l. c.* n. 92.

(4) D'Annibale, *l. c.;* Lehmkuhl, *l. c.* n. 1192.

(5) Cfr. Const. « *Apost. Sedis* », ser. 1, n. 6.

(6) Ball.-Palm., *l. c.;* Bucceroni, *l. c.;* Noldin, *l. c.* n. 57; De Siena, *op. cit.* p. 54.

classem significare. Proinde qui impediunt ex se ipsis, *quin recurrant ad laicam potestatem*, hac censura non plectuntur. Quod, saltem implicite, confirmatur can. 2337.

Ad hoc, i. e. causa impediendi exercitium iurisdictionis, non autem alia quavis causa seu ratione, licet impia et damnanda. *Recurrentes* sive voce, sive scripto seu per libellum aut epistolam (1).

Ad quamlibet laicalem potestatem. — Ius antiquum excommunicationi subiacebat « recurrentes *ad forum saeculare* », et auctores disputabant, utrum hac voce comprehenderentur iudices tantum, vel etiam civiles magistratus (2). Omnis controversia sublata est. Vox *quamlibet* sensu latissimo est accipienda, ita ut nulla excludatur laicalis potestas, sive suprema ea sit sive inferior, sive legifera sive iudiciaria aut exsecutiva tantum, sive iurisdictionis sive mere administrativa. Huc revocentur quae diximus alibi (n. 84).

Ius novum, aliter ac vetus, censura non plectit « auxilium, consilium vel favorem praestantes ».

VIII.

« *Si quis contra praescriptum can.* 120 *ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservalam* » (can. 2341) - (3)

92. — Si quis contra praescriptum can. 120. — Praescriptum ita se habet: « Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit » (§ 1); « Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Praelati *nullius*, supremi religionum iuris pontificii Superiores et Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae... » (§ 2); « Si nihilominus ab

(1) Huic censurae certe subsunt qui impediunt *R. Exequatur* seu *Placet* quoad parochos, canonicos, etc.

(2) Cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 61 ; Pennacchi, *op. cit.*, I, p. 253 ; Noldin, *l. c.;* Génicot, II, n. 589; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1194.

(3) Cfr. Suarez, disp. XXI, sect. 2, n. 78 ss.; Bonacina, disp. I, quaestio XVI, sect. 1.

eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit » (§ 3).

Proinde S. R. E. Cardinales, Legati Sedis Apostolicae etc. conveniri nequeunt apud laicum iudicem sine venia R. Pontificis.

Ausus fuerit. — Haec verba plenam cognitionem ac deliberationem exigunt (can. 2229, § 2), ut ab incurrenda censura excuset sive ignorantia, licet crassa et supina, sive metus, etsi levis.

93. — Ad iudicem laicum trahere, scil. vocare *ut reum* seu *convenire*, non autem vocare *ut testem* simpliciter (1). Hic sane est obvius ac genuinus verborum sensus (2); quod expresse confirmatur can. 120, ubi legislator utitur haud semel voce *convenire*. Porro neminem latet, vocabulum *convenire* in re forensi significare aliquem in ius vocare et in eum agere (3).

Aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae vel Officialibus maioribus Romanae Curiae. — Ad Cardinales quod attinet, nulla opus est explicatione, cum verba clarissima sint. Legati Sedis Apostolicae sunt Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici. Officiales maiores Romanae Curiae sunt (4): *a*) Adsessor et Commissarius S. C. S. Officii; *b*) Adsessor et Substitutus S. C. Consistorialis; *c*) Praelatus a secretis et Substitutus S. C. Rituum; *d*) Praelatus a secretis et Substitutus S. C. de Seminariis

(1) Si quis, puta, in Italia, Ordinarium proprium in ius traheret apud iudicem *conciliatorem*, subessetne huic excommunicationi? Ex lege italica duplex iurisdictio, voluntaria scil. et contentiosa, competit iudici conciliatori, prout controversias componit seu partes litigantes inter se proprie conciliat, aut vere ius dicit seu *sententias* profert, *definitivas* equidem atque *exsecutivas*. Cfr. art. 172 *Regolamento generale giudiziario approvato con R. D. 14 dic. 1865*, n. 2641, tit. 11; art. 63 ss., 132, 134, 147, 154, 440, 460, 462. Cod. Proc. Civ.; art. 10 *Legge sui giudici conciliatori, 16 giugno 1892;* art. 8 *Legge 28 luglio 1895* (*Modificazioni della legge sui conciliatori*); art. 1 *Legge 7 luglio 1901*, n. 283. Itaque si iudex conciliator vi iurisdictionis *contentiosae* ad suum tribunal vocet personam ecclesiasticam *per iuridicam citationem* (art. 132 ss.), ita ut ipsa ibi adesse publice compellatur sub poena *contumaciae* (art. 440), profecto dubitandum non est quin censura incurratur. E contra, si iudex conciliator vi iurisdictionis *voluntariae* vocet virum ecclesiasticum per simplicem *notificationem*, vulgo *avviso* (art. 3 ss. Cod. Proc. Civ.), ita ut comparere coram iudice ipse non teneatur, censura non contrahitur. Quocirca sententia ephem. *Monitore ecclesiastico* (vol. XXIII, p. 506) falso innititur supposito. Vide quae hac de re ipsi scripsimus in ephem. *Civiltà Cattolica*, fasc. 1602, 10 mart. 1917, p. 719 s.

(2) Cfr. Forcellini, *Lexicon tot. lat.*, v. *trahere, vocare.*

(3) Cfr. Papinian., *Dig. 50, 1, 17:* Ulp., *ibid. 10, 2, 20;* Paul. *ibid. 9, 2, 18.*

(4) Cfr. *Ord. servand. in Romana Curia. Norm. pecul. de speciali mandato SSmi D. Pii Papae X die 29 sept. 1908 edit.*, cap. VII ss.

et Universitatibus; *e*) Regens S. Poenitentiariae (1); *f*) Praelatus a secretis Signaturae Apostolicae seu Auditor SSmi (2); *g*) Praelati Auditores S. Rotae; *h*) Regens et Substitutus Cancellariae Apostolicae; *l*) Regens et Substitutus Datariae Apostolicae (3); *m*) Vice-Camerarius S. R. E. et Auditor generalis Rev. Camerae Apostolicae ; *n*) Substitutus Secretariae Status; *o*) Cancellarius Brevium Apostolicorum (4); *p*) omnes Praelati a secretis et Subsecretarii aliarum Congregationum.

Ob negotia ad eorum munus pertinentia. — Haec verba referuntur dumtaxat ad Officiales maiores Romanae Curiae, non autem ad Cardinales et Legatos Sedis Apostolicae, qui ne propter negotia quidem mere privata ad iudicem laicum trahi possunt sine venia Apostolicae Sedis, quin excommunicatio incurratur; dum e contra officiales maiores in iis solum negotiis quae ad eorum munus pertinent, hoc iuris sanctione proteguntur, quatenus iniuria in ipsam Curiam Romanam cedit, in ceteris negotiis vero aliis clericis aequiparantur.

Vel Ordinarium proprium. — Nomine *Ordinarii proprii* intelligi debet Praelatus ecclesiasticus, cuius potestati quis obnoxius sit, scil. pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui (ex. gr. Vicarii Capitulares) praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis (5). Ita ex praescripto can. 198, § 1.

Ut praedictae personae conveniri queant apud laicum iudicem, requiritur venia Sedis Apostolicae, i. e. S. Congreg. Consistorialis si agitur de Episcopis, Abbatibus vel Praelatis *nullius;* S. Congreg. negotiis religiosorum sodalium praepositae, si agitur de supremis religionum iuris pontificii Superioribus; S. C. de Propaganda fide, si agitur de Vicariis et Praefectis Apostolicis, aut etiam de Episcopis residentialibus, quoad eas regiones, quae, etsi

(1) Num quinque Praelati Signaturae, et Procurator, seu a secretis, ac Substitutus sint stricto sensu *maiores* Officiales S. Poenitentiariae, vel potius minores, controvertitur. Cfr. Const. Bened. XIV « *Apostolicae* », § 2, 18; *Norm. cit.* cap. VIII, art, 1, n. 1.

(2) Praelati Signaturae, *Votantes* et *Referendarii*, cum locum Consultorum teneant, uti constat ex Chirographo Benedicti Pp. XV diei 28 iun. 1915 (*Acta Apost. Sedis*, vol. VII, p. 224), inter officiales non adnumerantur.

(3) Nuper vocatus fuit *Regens,* qui antea *Praefectus* dicebatur. Itaque, ut opinamur, *Sub-Datarius* vocandus erit *Substitutus.*

(4) V. can. 263, 3°.

(5) Cfr. can. 488, 8°.

hierarchia inibi constituta sit, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt (cfr. can. 252, § 3); Congregationis vel Tribunalis aut Officii, cuius interest, si agitur de Officialibus maioribus Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia; R. Pontificis immediate, per organum, ordinarie, Secretariae Status, si agitur de Legatis Sedis Apostolicae vel de Cardinalibus; supremi religionis clericalis exemptae Superioris, si agitur de Superioribus maioribus, ex. gr. de Provinciali. Can. 120, § 2 ne verbum quidem habet de Vicario Generali, de Vicario Capitulari ac de Administratore Apostolico. Ut hi apud iudicem laicum licite conveniri possint, cuiusnam venia opus est? Ad Vicarium Capitularem et Administratorem Apostolicum quod spectat, indubitanter tenemus requiri veniam S. Sedis; item, saltem probabilius, opinamur quoad Vicarium Generalem, quum unam eamdemque personam cum Episcopo censeatur in iure ipse constituere.

IX.

« *Qui violentas manus iniecerit... in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis..., Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum, incurrit in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam* » (can. 2343, § 2 et 3) - (1).

94. — Qui violentas manus iniecerit, scil. qui iniuriam externam et graviter peccaminosam intulerit, sive *corpus* laedendo, sive *libertatem*, sive *dignitatem*. Huc spectant quae supra (n. 59) dicta fuerunt.

Verba « *violentas manus iniecerit* » significant, requiri « actionem iniuriosam circa talem personam in facto seu opere consistentem. Quamvis enim violentum physice loquendo sit omne id, quod est contra internam inclinationem, et hoc modo mors extrinsecus illata, licet iusta sit, violenta dicatur, tamen moraliter loquendo *de actione sacrilega*... proprie dicitur violenta manus, quae non solum naturae, sed etiam iustitiae repugnat... Oportetque, ut iniuria versetur *circa ipsam personam ecclesiasticam*, et *per aliquam exteriorem actionem* fiat... Et ita excluduntur omnes actiones iniuriosae, quae non fiunt ipsi personae in seipsa, sed in rebus eius, vel aliis personis illis adiunctis... Unde qui manus infert violentas in per-

(1) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 69 ss.; disp. XXII, sect. 1; sect. 3, n. 12 ss.; Bonacina, disp. II, quaest. III, punct. V et VI.

sonas coniunctas, ut familiares aut servos clerici, in iniuriam et odium eius, item, qui per violentiam accipit bona eius, non incurrit censuram... Rursus qui verbis, quamtumvis contumeliosis, iniuriam infert clerico, non incurrit hanc censuram, si ad opus manuum non perveniat, quia ex vi dictorum verborum talis iniuria non comprehenditur, ut per se notum est. Tertio qui aggreditur clericum, et lapidem, v. gr., in eum proiicit, aut quamcumque aliam actionem ex se percussivam, ut sic dicam, in ordine ad illum exercet, *si de facto non attingit personam eius, nec laedit*, non incurrit, quia, licet voluerit et attentaverit violentas manus in eum iniicere, de facto tamen non iniecit ». Ita egregie Suarez (1).

95. — Quaeri potest: *a*) an necesse sit, ut percussio per manus fiat; *b*) an actio exterior quae solum ratione iniuriae sufficit ad culpam mortalem, sit violenta manuum iniectio; *c*) an oporteat, ut pars aliqua corporis immediate attingatur.

Ad *primum*. Quamvis haec iniuria a manu denominationem acceperit, quia manus est instrumentum instrumentorum, necesse tamen non est, ut per ipsam manum immediate exerceatur actio, sed sufficit mediate attingere, v. gr. per ensem, virgam, lapidem etc. Imo nec semper oportet, manus interveniat, nam si pedibus, puta, quis percutiat, satis erit; est enim illa appellatio iniectionis manuum quasi metaphora quaedam, qua significata est omnis huiusmodi corporalis iniuria (2).

Ad *secundum*. Gravis iniuria contra honorem, quae verbis tantum fiat, aut etiam aliqua actione exteriore, seclusa tamen violenta manuum iniectione in ipsam personam ecclesiasticam, non sufficit. Verum, ut incurratur censura, nequaquam oportet, corporis percussionem talem esse, ut illud graviter laedat; nam si actio violenta personam ipsam attingat, licet contactus physice consideratus levissimus sit, dummodo secundum moralem existimationem sufficiat ad gravem iniuriam contra honorem et reverentiam debitam ecclesiasticae personae, excommunicatio contrahitur (3).

Ad *tertium*. Ex parte ecclesiasticae personae, cui iniuria infertur, necesse non est, ut manus violentae aliquam partem corporis eius immediate attingant; satis est, si attingant vestem, aut pileum, vel aliquid simile, dummodo actio alias graviter iniuriosa sit. Imo etiam si contactus versetur circa rem aliam continentem vel deferentem talem personam, si violentia redundet in ipsam personam,

(1) Disp. XXII, sect. 1, n. 23.
(2) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 28.
(3) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 25 s.

id sufficit ad censuram incurrendam; ut, ex. gr., si apprehenso fraeno equi, quis violenter detineat clericum incedentem, vel si alicubi existentem extrinsecus ita claudit, ut exire nequeat aut non sine magno pudore; et sic de aliis similibus, iuxta communem doctorum sententiam (1).

Ulterius quaerere possumus an censuram contrahat: *a*) qui ecclesiasticam personam probabiliter ignoratam percutiat; *b*) qui putat se Praelatum percutere, percutiat autem laicum; *c*) qui intendens in unam personam ecclesiasticam manus violentas iniicere, in aliam, contra, iniiciat; *d*) qui consentit suae percussioni; *e*) qui percutit Praelatum suae percussioni consentientem; *f*) qui seipsum vulnerat seu percutit.

Ad *primum*. Censura non incurritur, « quia actio licet sit alioqui iniusta, tamen sacrilegii malitiam non habet, cum procedat ex tali ignorantia »; porro compertissimum est, ius punire solam *sacrilegam* percussionem, quae voluntarie circa ecclesiasticam personam versatur (2).

Ad *secundum*. Ad censuram incurrendam non sufficit interior malitia, nisi exterius consummetur in illa specie, quae necessaria est ad talem censuram; in praesenti autem, licet consummetur externum peccatum in specie percussionis, non tamen in specie sacrilegii; idcirco excommunicatio non contrahitur (3).

Ad *tertium*. Distinguendum est: si actio illa exterior non solum quatenus tendebat ad unum Praelatum percutiendum, sed etiam quatenus de facto alium attingit, peccaminosa sit eo quod respectu utriusque fuerit voluntaria, directe quidem respectu unius, indirecte respectu alterius, quia nimirum sufficientem diligentiam *culpabiliter* non adhibuit, ut caveret, ne ob errorem ictus in aliam personam caderet, censura incurritur; secus, si actio, qua alius percutitur, sit fere casualis et involuntaria (4).

Ad *quartum*. Qui consentit suae percussioni censuram certe effugit, quia verba, maxime in re odiosa, sunt accipienda prout sonant, et non aliter.

Ad *quintum*. Ita distinguimus: si actio est iniuriosa ordini clericali, excommunicatio contrahitur, cum lex lata sit in favorem status seu ordinis clericalis (can. 119), et neminem lateat suis privilegiis clericum renuntiare haud posse (can. 123); si e contra actio non est iniuriosa statui clericali, censura non incurritur, quia percutiens in casu nec facit iniuriam Praelato, cum sponte consentiat,

(1) Suarez, *l. c.* n. 29.
(2) Suarez, *l. c.* n. 51.
(3) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 53.
(4) Suarez, *l. c.* n. 54.

neque ordini clericali, ut supponitur; proindeque cessat ratio iuris, et consequenter praescriptum (1).

Ad *sextum*. Quidam auctores, v. gr. Panormitanus, Navarrus et alii (2), opinati sunt incurrere censuram clericos seipsos percutientes. At immerito, nam lex de iis tantum loquitur qui *in alios*, non vero *in seipsos*, violentas manus iniiciunt. Quod, iure novo, confirmatur can. 2350, § 2.

Excommunicationem non effugit, qui crimen perpetret, eo quod parere necesse habet, ut miles, lictor etc. (3).

Ius antiquum excommunicatione plectebat etiam « mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem » (4).

96. — In personam S. R. C. Cardinalis vel Legati R. Pontificis, Patriarchae etc., scil. *Cardinalis* rite creati et publicati a Romano Pontifice in Consistorio (cfr. can. 233, § 1); *Legati*, munere tantum durante, nisi, uti solet, sint charactere episcopali aucti; *Patriarchae*, *Archiepiscopi*, *Episcopi*, a die consecrationis, non vero, ut tamquam certum habemus, a die electionis (8). Dicitur « *Episcopi etiam titularis tantum* », quia immunitas non propter iurisdictionem conceditur, sed propter characterem episcopalem, qui, utpote indelebilis, personae semper inhaeret, independenter a potestate iurisdictionis (6).

X.

« *Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subiaceant excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae* » (can. 2345).

97. — Usurpantes dicuntur, qui rem in potestate domini existentem *auctoritative*, i. e. tamquam *propriam*, occupant (2) sive

(1) Suarez, *l. c.* n. 58.

(2) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 59; S. Alph., lib. VII, n. 274.

(3) Cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 51, 14; Pennacchi, *l. c.* p. 216.

(4) C. *Felicis* 5, *de Poenis* in 6°; Clem. 1 *de Poenis;* Extr. un. *de Consuetud.;* Const. « *Apost. Sedis* » ser. 1, n. 5.

(5) Cfr. Suarez, disp. XXI, sect. 1, n. 70.

(6) Qui violentas manus iniicit in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Sedis Apostolicae est ipso iure infamis (can. 2343, § 2, 2°).

(7) Cfr. Bonacina, *l. c.*, quaest. XVIII, punct. I, n. 3.

publica id agant auctoritate, sive privata; sive laici sint, sive clerici (1).

Tria ergo requiruntur, ut sit usurpator: *a*) ut rem occupet; *b*) et quidem rem quae adhuc est in potestate domini, a quo extrahitur; *c*) ut occupet tamquam suam seu tamquam iure proprio utens. Defectu secundae conditionis, usurpator non est, qui rem accipit ab usurpatore; defectu tertiae, non est usurpator fur aut latro, qui rem alterius accipit quidem ut sua sit, sed non auctoritative quasi iure suo sibi eam vindicans (2). Hinc S. C. Inq. 9 mart. 1870, interrogata, an sub usurpantibus comprehendantur fures, respondit, *non* comprehendi.

98. — Detinentes, scil. qui actu possident, servant, habent, licet ipsimet haud usurpaverint, sed ab aliis quovis titulo acceperint, puta ex haereditate vel donatione aut emptione etc. (3).

Per se vel per alios. — Refertur sive ad usurpantes sive ad detinentes, quatenus ad incurrendam censuram, necesse non est, ut sequestratio vel retentio immediate ac directe ab aliquo fiat, sed sufficit ut alius, nomine et auctoritate alterius, id agat. Idcirco *mandantes* huic excommunicationi subsunt.

Bona, quaevis, tam mobilia quam immobilia, seu pretiosa, seu non pretiosa, dummodo gravem materiam constituant.

Iura, quaelibet, cum nulla limitatio adiecta fuerit, sed praesertim, uti manifesto patet ex fontibus, e quibus ius novum depromptum est, ea iura sunt intelligenda, quae ad civilem principatum spectant, quaeque nec temporis lapsu nec alio titulo praescribi posse compertissimum est (4).

Ad Ecclesiam Romanam pertinentia; non ideo ad alias Ecclesias particulares, neque, a fortiori, ad privatas personas, quaecumque sint.

Iure novo excommunicatione non plectuntur « auxilium, consilium, favorem praebentes », nec adhaerentes (5).

(1) Suarez, disp. XXI, sect. 2, n. 96; D'Annibale, *l. c.* n. 91, 32; Ball.-Palm., *l. c.* n. 435.

(2) V. Suarez, *l. c.;* Ball.-Palm., *l. c.* n. 435; Bucceroni, *l. c.* n. 29; Génicot, *l. c.* n. 591.

(3) Cfr. D'Annibale, *l. c.;* Lehmkuhl, *l. c.* n. 1210; Ciolli, *l. c.* n. 107, II.

(4) Cfr. Bull. « *Coenae* », § 17 et 20; Const. « *Apost. Sedis* », ser. 1, n. 11 et 12. Cum verba Const. « *Apost. Sedis* » (*l. c.* n. 12), « invadentes, destruentes, detinentes civitates, terras, loca...; usurpantes, perturbantes, retinentes supremam, iurisdictionem in eis » omissa fuerint, dubitari potest num huius canonis praescriptum *solam* ditionem pontificiam, *qua talem*, ut antea (cfr. D'Annibale, *l. c.;* Génicot, *l. c.;* Pighi, *l. c.* n. 494), respiciat, necne.

(5) Cfr. Litt. Apost. Pii IX « *Cum catholica* » 26 mart. 1860; Litt. Encycl. « *Respicientes* » 1 nov. 1870.

XI.

« *Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam* » (can. 2360, § 1) - (1).

99. — Omnes, laici et clerici, mares feminaeve; hanc vocem latissimo sensu esse accipiendam, palam est.

Fabricatores dicuntur qui litteras vel decreta aut rescripta Sedis Apostolicae confingunt. Ad incurrendam censuram, aliter ac olim (2), necesse haud est ut falsae litterae apostolicae *publicentur*. Sufficit fabricatio seu ex integro confectio, quae, propter iniuriam et contemptum supremae auctoritatis, numquam *per se* fieri potest sine peccato mortali (3); adeoque, fabricationis crimine consummato, statim incurritur censura.

100. — Falsarii sunt qui dolo malo seu animo delinquendi, litteras, decreta vel rescripta *vera* Apostolicae Sedis adulterant, mutando, addendo, detrahendo, ita ut sensus principaliter intentus immutetur et sic alter posset decipi (4). Proinde duplex conditio requiritur ut censura ex hoc capite contrahatur, scil. 1° ut falsificatio *dolo malo* fiat, i. e. gravi culpa seu pravo animo corrumpendi (5); 2° ut falsitas, nedum attentata vel incepta fuerit, sed omnino completa; tunc enim, falsificatione admissa, excommunicatio ipso facto incurritur, quamvis falsatis litteris vel decretis aut rescriptis minime utaris (6).

(1) Cfr. Bonacina, *l. c.*, quaest. VII, punct. II et III.

(2) Const. « *Apost. Sedis* », ser. 1, n. 9; cfr. Ball.-Palm., *l. c.* n. 433; D'Annibale, *Comment.* in h. l.; Bucceroni, *l. c.* n. 24; Noldin, *l. c.* n. 61.

(3) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 49; Schmalzgrueber, in lib. V, tit. 20, n. 36.

(4) Falsarius est, qui vero sigillo seu signo litterarum vel decretorum aut rescriptorum Sedis Apostolicae ad falsa instrumenta consignanda utitur. Cfr. Suarez, *l. c.* n. 46; Bonacina, *l. c.* punct. I. n. 4.

(5) Quidam, ut clariss. D'Annibale (*l. c.*), Ballerini (*l. c.* n. 433), opinati sunt, ad incurrendam censuram, requiri ut, si litterae apostolicae (idque valet etiam de decretis vel rescriptis), *alterius intersint*, graviter alteri noceat aut nocere possit falsificatio. Haec opinio, saltem iure novo, solido fundamento caret, nam falsatio prohibita est, ut indubitanter censemus, non propter damnum, quod inde sequitur, sed *propter iniuriam et contemptum auctoritatis apostolicae;* quod, ceteris omissis, manifesto liquet ex rescriptis gratiae, quae in nullius damnum cedunt et nihilominus falsificatores eamdem excommunicationem contrahunt.

(6) Ball.-Palm., *l. c.;* Ciolli, *l. c.* n. 98 s.

Dubitandum non est quin hac in re parvitas materiae haberi possit. Quocirca in censuram non incurrunt, puta, qui ita adulterant ut sensus non varietur, vel qui corrumpunt, mox laceraturi instrumenta, quin damnum alteri attulerint aut iniuria seu contemptu affecerint Sedis Apostolicae auctoritatem (1); et, generatim loquendo, excommunicationi non subiacent, qui aut nullum aut veniale tantum in casu formaliter patrent peccatum.

Litterarum, decretorum vel rescriptorum. — Quid sint *litterae* et *decreta*, alibi diximus (nn. 82, 84). Rescriptum est responsum principis i. e. Romani Pontificis scripto datum ad alicuius supplicationem vel rationem aut consultationem (2). Quaevis rescripta comprehenduntur, sive *gratiae* sive *iustitiae*, sive in forma *gratiosa* sive in forma *commissoria* concessa (3).

Sedis Apostolicae, scil. R. Pontificis, Sacrarum Congregationum, Tribunalium et Officiorum Curiae Romanae (can. 7), quae nomine et auctoritate eiusdem Antistitis Maximi negotia Ecclesiae universae expediunt.

101. — Vel iisdem litteris, decretis etc. Hic, ut manifesto liquet ex voce *vel*, alia exprimitur personarum classis, praeter fabricatores et falsarios, eorum nempe, qui litteris, decretis vel rescriptis, sive confictis sive falsatis, utuntur.

Scienter. — Excusat ignorantia etiam crassa vel supina. Ut quis incurrat in censuram, oportet, cognoscat 1° litteras vel decreta aut rescripta esse falsa aut falsata; 2° eorumdem usum poena huius censurae plecti.

Utentes dicuntur omnes, clerici laicive, qui litteras, decreta vel rescripta, sive falsa sive falsata, ita exhibent, ut effectum habere possint, etiamsi de facto non habeant, puta, quia falsitas deprehenditur (4). Ratio est, quia gravem iniuriam in Sedem Apostolicam admittit, independenter equidem ab effectu, qui sciens et volens utitur praefatis instrumentis.

Crimini ea in re cooperantes excommunicationem, ut antea (5), non contrahunt.

(1) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 47 s.; Bonacina, *l. c.* punct. III, n. 13; D'Annibale, *l. c.*

(2) D'Annibale, *Summula* etc. I, n. 236; Wernz, *op. cit.* I, n. 149, II; cc. 36-62.

(3) Qui litteras mere *privatas* seu *familiares* R. Pontificis falsificaret, huic censurae non subiaceret.

(4) D'Annibale, *l. c.* n. 121; Pennacchi, *l. c.* p. 482; Noldin, *l. c.* n. 94.

(5) Cfr. Const. «*Apost. Sedis*», ser. 3, n. 3.

XII.

« *Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiorem falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can.* 894 » (can. 2363).

102. — Si quis, scil. quicumque, mas feminave, clericus vel laicus.

Per seipsum vel per alios, sive per se quis denuntiet, sive procuret ut ab aliis id fiat; quocirca *mandantes* excommunicationem contrahunt.

Confessarium; secus non habetur verum sollicitationis crimen, de quo agitur. Ideo censura hac non tenetur qui parochum aliumve sacerdotem, non qua confessarium, de sollicitationis crimine apud Episcopum falso denuntiaverit (1).

De sollicitationis crimine. — Infandum hoc crimen committunt omnes et singuli confessarii, « qui aliquem poenitentem vel in actu sacramentalis confessionis vel ante vel immediate post confessionem vel occasione aut praetextu confessionis vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis sive signis sive nutibus sive tactu sive per scripturam, aut tunc aut postea legendam, tentaverit aut cum eo illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint » (2).

Ut censura incurratur, oportet agi *de vero sollicitationis cri-*

(1) Cfr. D'Annibale, *Summula*, III, n. 235. Sollicitatio fieri debet *a sacerdote;* itaque si is qui sollicitat non sit sacerdos, denunciatio cessat; si est, tenet, licet confessarius non sit (Greg. XV Const. « *Universi dominici gregis* », §§ 5, 9; Instr. S. U. I. 20 febr. 1867. *Eodem iure*), *dummodo sollicitatio admissa fuerit iis in adiunctis, ad confessionem spectantibus, quae* singillatim ac perspicue *commemorat Const. Benedictina*, totidem fere verbis cit. Const. Greg. XV referens.

(2) Const. « *Sacramentum Poenitentiae* » Bened. XIV, 1 iun. 1741, § 1. Cfr. hac de re can. 904 et 2368; Salm. 21, 4, n. 18 ss.; S. Alph. VI, n. 675 ss.; D'Annibale, *l. c.* n. 234 ss.; Ball.-Palm. V, n. 1085 ss.; Bucceroni, *Comment. IV, De Const. Benedict. XIV* « *Sacramentum Poenitentiae* »; Noldin, *Summa theol. mor.* III, n. 388 ss.; Ojetti, *op. cit.* v. *Sollicitatio;* Santi, V, p. 226 ss.; Lega, IV, n. 7 ss.; Wernz, VI, n. 468 ss.

mine ad turpia, iuxta constitutiones apostolicas et nominatim cit. constitutionem Benedicti XIV (1). Hinc, etsi gravissime peccet, tamen excommunicationi haud subiacet, qui falso denuntiet sacerdotem seu confessarium de sollicitatione ad aliud crimen, praeter turpia, v. gr. ad furtum, ad blasphemias etc.

Apud Superiorem. — Nomine *Superioris* heic intelligi debet non quilibet Praelatus, licet fortasse iurisdictione gaudeat in confessarium denuntiatum, sed iudex ecclesiasticus, is nempe, cuius est inquirere et procedere atque condignis poenis (cfr. can. 2368, § 1) animadvertere contra sollicitantes ad turpia in confessione. Porro solis locorum Ordinariis (non autem Praelatis regularibus in subditos suos) aeque ac Inquisitoribus (ob suspicionem de haeresi) haec potestas iampridem tributa fuit, et quidem relate etiam ad sodales religiosos quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet exemptos (2). Quod iuris canonici Codex diserte confirmat can. 904: « ... debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare *loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii* » (3). Itaque Superior in casu, est vel loci Ordinarius vel S. C. S. Officii. Iure antiquo Vicarius Generalis non poterat denuntiationem excipere, neque ipsi a fortiori, sine speciali S. Sedis licentia, facultas erat alios ad id deputandi (4).

Quidnam iure novo? Etsi nomine *Ordinarii loci* ipsemet Vicarius generalis veniat, tamen, cum Superior heic is solum intelligendus sit, ut supra diximus, *qui potest inquirere et procedere atque condignis poenis sollicitantes plectere*, manifestum est Vicarium Generalem excipere non posse iuridice denuntiationem sine mandato speciali, attento praescripto can. 2220, § 2. At, eodem canone perspecto et can. 2368, § 1, putamus requiri et sufficere *mandatum speciale* Episcopi, quin necessaria sit S. Sedis licentia.

Falso, i. e. dolo malo seu gravi culpa oportet denuntiatio fiat, quatenus insontem confessarium sciens et volens de infando sollicitationis crimine accusaverit. Etenim *calumniosa* dumtaxat accusatio censura plectitur. Diximus confessarium *insontem;* nihil refert, utrum sacerdos generaliter sit innocens, an respectu tantum *huius* accusationis.

(1) Cfr. cit. Const. Benedicti XIV, § 3, qua reservationis poena coërcetur detestabile facinus eorum, qui « innoxios sacerdotes *apud ecclesiasticos iudices* falso sollicitationis insimulant ».

(2) Greg. XV, cit. Const. « *Universi* »; Instruct. cit. S. C. I. 20 febr. 1867; Instruct. S. C. I. 20 iul. 1890; D'Annibale, *l. c.* n. 238; Santi, *l. c.* p. 219 s.; Lega, *l. c.* n. 539; Wernz, *l. c.* n. 472, I.

(3) Cfr. etiam can. 894.

(4) S. U. I. 20 mart. 1901.

Denuntiaverit, scil. *iudicialiter* h. e. *iuxta formam canonicam*, quae accurate describitur in cit. Instruct S. C. Inq. 20 febr. 1867, ubi (n. 6) haec leguntur: « *Denuntiationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habeant;* denuntiationes enim fieri debent *in iudicio*, nempe coram Episcopo eiusve Delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis; *nec sufficit si fiat per apochas, vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris* ». Cfr. n. 142 s. (1).

Expleta denuntiatione, *statim* incurritur excommunicatio, quamvis forte ecclesiasticus iudex non instruat processum contra sacerdotem denuntiatum, vel, processu confecto, in eumdem haud animadvertat canonicis poenis; nam calumniosae accusationis crimen perfectum consummatumque iam est.

103. — A qua (excommunicatione) nequit ullo in casu absolvi etc. — Tria requiruntur ut falso denuntians absolvi queat a censura, scil. 1° ut calumniosam denuntiationem *formaliter* i. e. *coram Superiore eiusve delegato, servatis servandis*, retractaverit, ita quidem ut *nullo in casu* absolvi possit, nisi haec retractatio praecesserit; agitur enim de gravissima obligatione, quam ipsum naturale ius districte urget; 2° ut damna, si qua ex falsa denuntiatione secuta sint (puta, si denuntiatus suspensus fuerit a celebratione Missae vel privatus beneficio aut dignitate), reparaverit *pro viribus*, h. e. ea meliore qua fieri queat ratione et mensura, attentis sive denuntiantis sive denuntiati conditionibus; 3° ut gravis ac diuturna imponatur poenitentia. *Gravis* censetur poenitentia, quae respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia iniungitur, vel quod sub gravi obligaret, si praeciperetur; ex. gr. Missam audire, ieiunare, recitare quinque decades rosarii, litanias Sanctorum cum precibus, susceptio Sacramentorum et similia: levis censetur unus ex consuetis psalmis, litaniae Lauretanae, quinquies Pater et Ave (2). *Diuturna* dicitur, quae saltem ad sex menses est duratura (3).

Firmo praescripto can. 894. — Praescriptum can. cit. ita se

(1) Cum poenitens ob maximam repugnantiam vel moralem impossibilitatem aliisque iustis de causis vix adduci potest ut apud Episcopum aliumve delegatum denuntiationem perficiat, conceditur ut ipse confessarius solus extra confessionem excipiat denuntiationem poenitentis, qui, praemisso iuramento, quaestionibus in folio delegationis indicatis respondeat. Cfr. Instruct. cit. n. 7; Wernz, *l. c.* n. 472; Noldin, *l. c.* n. 395.

(2) Lugo, disp. XXV, n. 74; S. Alph., VI, 515; Génicot, II, n. 312, II; Lehmkuhl, II, n. 463; Noldin, III, n. 300, 2.

(3) V. D'Annibale, I, n. 341; Génicot, *l. c.* n. 347, III.

habet: Unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos ». Itaque duplici ex capite crimen calumniosae accusationis est reservatum Sedi Apostolicae; *ratione sui*, et *ratione censurae*. Reservatio, ratione censurae, iure novo statuitur; ratione sui i. e. peccati, statuta fuit a Benedicto XIV (1).

Cum censura sit reservata S. Sedi *speciali modo*, censemus etiam peccatum, iure novo, ita esse reservatum, non vero, ut antea (S. C. S. O. 17 iun. 1866), *specialissimo modo*. Excusat ignorantia, non tamen crassa vel supina (2). Haec Doctorum sententia, ni fallimur, hodie confirmatur can. 2229, § 3, 1°; nam iuxta Instruct. S. O. 13 iul. 1916 et cc. 897-900, reservatio haberi debet ut medicinalis quaedam poena; ad casum nostrum quod attinet *de falsa accusatione sollicitationis*, « indubium est - ait Lehmkuhl (l. c.). - reservationem esse *poenalem* », prouti manifesto patet ex verbis cit. Const. Benedicti XIV (§ 3). Porro, cum reservatio eiusmodi criminis sit poena quaedam *medicinalis*, non autem mere *vindicativa*, ignorantia, dummodo ne sit crassa vel supina, excusat non solum ab incurrenda *censura*, sed etiam ab incurrenda *reservatione peccati* ratione sui. At ignorantia rarissime aderit; iudex enim ecclesiasticus quemcumque denuntiantem certiorem facere debet de hac reservatione.

Etiam praeter mortis periculum, falso denuntians absolvi potest a quolibet confessario in casibus *urgentibus*, imposita tamen obligatione recurrendi ad Sedem Apostolicam (3). Id congrua congruis referendo, confirmatur praescripto can. 2254, § 1.

(1) Const. cit. § 3, ubi legimus: « Quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei iudicio posthabito, et Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coërceatur, quaecumque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munito, praeterquam a Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitae, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam Nobis, et Successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat ».

(2) Cfr. Santi, *l. c.* p. 233. 2°; Lehmkuhl, *l. c.* n. 526, 6.

(3) *S. Poenit.* 7 nov. 1888.

Articulus III.

De excommunicationibus Sedi Apost. simpliciter reservatis.

I.

« *Quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata* » (can. 2327).

104. — Quaestum facientes (1) dicuntur, qui accepto pretio aliquid lucrantur, et quidem vel *concedendo* indulgentias, vel eas *publicando*, aut *publicari iubendo* (2). Ratio censurae est, quia haec redolent simoniae pravitatem, scandala gignunt fidelibus atque ipsa clavium auctoritas vilescit (3). Ut excommunicatio contrahatur, necesse est, pecunia vere accepta sit; sed non requiritur, ut mens formaliter simoniaca adfuerit. Non excusat paupertas vel praetextus pii operis promovendi aliave id genus causa.

Ex indulgentiis. — Censura, secus ac antea, eos non tenet qui quaestum faciant ex « aliis gratiis spiritualibus ». Personae, quae in Const. S. Pii V excommunicatione plectebantur, erant « *episcopis inferiores* ». Iure novo putamus ad normam can. 2227, § 2, etiam Episcopos comprehendi, cum can. 2327 ne verbum quidem faciat de cit. Pii V Constitutione.

II.

« *Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, contrahunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam* » (can. 2335).

105. — Nomen dantes, qui nempe *scientes* et *volentes* sectam ingrediuntur seu eiusdem socios se constituunt (4). Palam est omnino requiri ad incurrendam censuram, ut quis noverit societatem ma-

(1) Cfr. Const. S. Pii V « *Quam plenum* » 2 ian. 1569; Const. « *Apost. Sedis* », ser. 2, n. 11.

(2) Ball.-Palm., *l. c.* n. 412; Ciolli, *l. c.* n. 131; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1236.

(3) Const. cit. Pii V, § 4.

(4) D'Annibale, *l. c.* n. 117; Ball.-Palm., *l. c.* n. 451.

chinari contra Ecclesiam aut legitimas potestates esseque sub excommunicationis poena prohibitam (1). Si quis bona fide sectae sub censura vetitae nomen dedit eamque, re comperta, non deserit, certe excommunicationem contrahit, si nulla excusante causa haud recedat; quod si, contra, invitus remaneat ad gravissima vitanda mala, donec sine gravi incommodo eam deserere queat, in censuram non incurrit (2).

Sectae massonicae. — Nomine *sectarum* in pontificiis Constitutionibus intelliguntur eae societates seu aggregationes hominum, quae adversus Ecclesiam vel civilem potestatem aliquid moliuntur. Itaque ut eiusmodi aggregatio secta sit, duo requiruntur et sufficiunt: 1° ut societas coacta seu adunata sit; nihil vero interest, quo nomine vocetur; neque opus est, ut a sociis exigatur secretum aut iuramentum de secreto conservando (3); 2° ut contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates aliquid moliatur (4).

Sectae *massonicae* addictos primus excommunicavit Clemens XII, Const. « *In eminenti* » 28 apr. 1738; deinde Benedictus XIV, Const. « *Providas* » 18 maii 1751; Leo XII, Const. « *Quo graviora* » 13 mart. 1825; Pius VIII, litt. encycl. « *Traditi* » 24 maii 1829; Pius IX, Const. « *Apost. Sedis* » pluries citata; quas poenas innovavit Leo XIII, Const. « *Humanum genus* » 20 apr. 1884.

Aliisve eiusdem generis associationibus. — Eae intelliguntur associationes, de quibus ita loquitur Leo XIII in Const. mox citata: « Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, *re congruunt cum secta Massonum*, quae cuiusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae ». Nihil refert utrum secretae sint an publicae, utrum a suis asseclis exigant secreti servandi iuramentum, necne. Requiritur et sufficit ut vel contra Ecclesiam et legitimam potestatem civilem, vel contra alterutram machinentur, etiam si alium finem se prosequi profiteantur (5).

Excommunicationi certe obnoxia est, praeter massonicam, 1° societas *carbonaria* (6); 2° societas *fenianorum* (7); 3° societas *nihilistica* et *anarchistica*, ut patet ex fine quem prosequitur.

(1) Cfr. Instruct. S. U. I. 12 ian. 1870, 10 maii 1884.

(2) Lehmkuhl, *l. c.* n. 1226; Ciolli, *l. c.* n. 119.

(3) Instruct. S. O. 10 maii 1884.

(4) Ball.-Palm., *l. c.* n. 451.

(5) Cfr. Instruct. S. O. 10 maii 1884; Bucceroni, *l. c.* n. 46; Génicot, *l. c.* n. 596; Lehmkuhl, *l. c.*; Noldin, *l. c.* n. 74, 2.

(6) V. Const. Pii VII « *Ecclesiam* », 15 sept. 1821; Const. Leonis XII « *Quo graviora* », 13 mart. 1825; Const. Pii IX « *Apost. Sedis* », ser. 2, n. 4.

(7) S. O. 12 ian. 1870.

Vexata quaestio est, num societates *socialisticae*, *biblicae*, *clerico-liberales* et *neoprotestantica veterum catholicorum*, sub censura prohibitae sint, necne. Quidam auctores, v. gr. D'Annibale (1), Hilarius a Sexten (2), Ball.-Palm. (3), Génicot (4), putant omnes societates, quae adversus Ecclesiam aut rempublicam machinantur, huic censurae esse obnoxias; quidam, ut Vermeersch (5), Lehmkuhl (6), Noldin (7), censent requiri, praeter memoratam machinationem, ut sectae *occulta* statuta habeant et occultis ducibus regantur, ideoque, aiunt, societates communisticae et socialisticae, biblicae etc. excommunicationi haud subsunt. Prima sententia, alia reiecta, videtur omnino tenenda, attentis praesertim decretis S. Officii 9 aug. 1893, 20 aug. 1894, 17 aug. 1899, necnon verbis canonis huius, quae, ad ceteras aggregationes quod spectat, nullam aliam similitudinem cum societate massonica postulant quam ut veram sectam constituant et pariter ac massones contra Ecclesiam Statumve machinentur. Ceterum, neminem effugit, eos, qui praefatis societatibus *adhaerent*, earum principia et finem probe cognoscentes, incurrere *propter haeresim* in excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam (8). Notat haud immerito Génicot (9) plerosque fideles qui, puta, socialismo favent vel etiam coadunantur, immunes esse a censura incurrenda, seu quia censuram ignorant, seu etiam quia nullum peccatum grave committunt, dum putant sectam illam nihil aliud esse quam partes politicas plebeiorum commoda propugnantes. In praxi attendas velimus, num agatur de *vera* aggregatione, cuius membra nempe vinculo sociali sint unita necne; num praeter materialem plebeiorum conditionem perficiendam, ea moliatur etiam quae ad Ecclesiae et Status eversionem tendunt.

Contra Ecclesiam, scil. eius doctrinam, auctoritatem, formam constitutivam, necnon adversus ipsas personas ecclesiasticas, qua tales.

Vel legitimas civiles potestates, nempe contra Statum seu Gubernium, h. e. contra eos qui populorum tenent principatum. At non quaevis potestates civiles, sed *legitimae* tantum indicantur; et merito quidem. Nam potestas, quae legitima haud sit, non est

(1) *Loc. cit.*
(2) *Op. cit.* p. 171.
(3) *Loc. cit.*
(4) *Loc. cit.*
(5) *De prohib. et cens. libr.*, n. 13.
(6) *Loc. cit.*
(7) *Loc. cit.*
(8) Génicot, *l. c.* nota 2 ; Noldin, *l. c.*
(9) *Loc. cit.*

vera potestas nullumque ipsi est ius imperandi, nec civibus *per se* officium obediendi (1).

Machinantur, i. e. *data opera* seu *ex fine* quem prosequuntur, contra Ecclesiam vel rempublicam conspirant, sive palam sive clandestine, sive verbis sive scriptis, hac illave ratione (2).

Censura, secus ac olim (3), non plectit « iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes earumque occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes » (4).

III.

« *Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam* » (can. 2338, § 1) - (5).

106. — Absolvere, scil. qui reipsa absolvit, et non qui audit tantum vel fingit absolvere.

Praesumentes, i. e. qui sponte et scienter absolvunt. Excusat ignorantia crassa vel supina, et metus etiam levis. Ut censura tenearis, necesse est: 1° te carere debita facultate; 2° agi de excommunicatione specialissimo vel speciali modo reservata; 3° te scire absolutionem esse vetitam sub poena huius censurae.

Sine debita facultate, nempe sine *speciali* vel *specialissima* facultate (can. 2253, 3°) *extra mortis periculum*, aut extra *casus urgentiores* ad normam can. 2252 et 2254 (6).

(1) Cfr. Instruct. Pii VII 22 maii 1827. Tamen omnibus compertum est, cives *per accidens*, i. e. ratione *boni publici*, teneri usurpatori obedire. V. Zellinger, *Instit. iur. nat.*, I, lib. III, § 210; Meyer, *Instit. iur. nat.* (Friburgi Brisgoviae, 1900), II, n. 518; Taparelli, *Saggio teoretico di diritto naturale* (Palermo, 1841), I, § 659 ss.

(2) V. Const. cit. « *Humanum genus* », Leonis XIII.

(3) Const. « *Apost. Sedis* », ser. 2, n. 4.

(4) Ex praescripto can. 2336, § 2, nonnisi clerici et religiosi (utriusque sexus, ut indubitanter putamus) nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent S. Congregationi S. Officii.

(5) V. Suarez, disp. XXI, sect. 5, n. 6 s.; Bonacina, *l. c.*, quaest. XXII, punct. III; D'Annibale, *l. c.* n. 154; Bucceroni, *l. c.* n. 72; Ball.-Palm., *l. c.* n. 444, 470; Ciolli, *l. c.* n. 150 s.

(6) Laicus, qui absolvat se fingens sacerdotem, subiacetne huic excommunicationi? Iure antiquo affirmabat Bonacina (*l. c.* n. 2); negabat, saltem implicite, Suarez (*l. c.*). Iure novo negandum est, attento praesertim praescripto can. 2322, n. 1.

Ab excommunicatione etc. Censura non incurritur, nisi agatur de *excommunicatione latae sententiae*, *specialissimo* vel *speciali* modo, non autem simpliciter, *Sedi Apostolicae reservata;* neque, a fortiori, si agatur de censura *Ordinario* reservata. Dicitur *ab excommunicatione;* quocirca si quis absolveret a peccato tantum, non autem a censura, huic poenae. nostra sententia, non subesset (1).

IV.

« *Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam* » (can. 2338, § 2).

107. — Impendentes, quicumque ii sint, seu clerici seu laici.

Quodvis auxilium vel favorem. — Nota verbum « *quodvis* », quod in Const. « *Apost. Sedis* » (2) deerat, ut significetur auxilium vel favorem cuiuslibet naturae seu generis comprehendi. *Auxilium* impendere est subsidium, adiumentum, opem *materialem* ferre; *favor* e contra quodlibet *morale* subsidium, ex. gr. commendationes, laudes, suffragia etc., complectitur (3).

Impendentes *consilium* tenenturne hac censura? Videretur affirmandum, quia consilium est aliquis favor vel auxilium morale, saltem lato sensu. Sed, ut scite animadvertit Suarez (4), « in contrarium vero est, quia in rigore sunt influxus distincti, et ad distinctos fines ordinati; consilium enim est ad instructionem mentis; auxilium autem et favor ad exsecutionem. Unde in aliis iuribus quando extensio fit ad consulentes, expressa fit eorum mentio... Et ideo probabilius censeo per hanc clausulam (scil. *dantes favorem et auxilium*) non comprehendi pure consulentes ». Quam eximii Doctoris sententiam nos quoque ultro complectimur.

Excommunicato vitando in delicto propter quod excommu-

(1) Cfr. Bonacina, *l. c.* n. 6.

(2) Cfr. ser. 2, n. 16.

(3) Palam est, requiri favorem vel auxilium, quod mortale peccatum constituat. Quamobrem si quis leviter cooperetur, ita ut exterior haec cooperatio ad culpam letalem sufficiens non videatur, censura non contrahitur. V. Bonacina, *l. c.* quaest. III. punct. XXI, n. 3.

(4) Disp. XXI, sect. 2, n. 17.

NICATUS FUIT. — *Vitando*, et non alii, quamvis e sententia condemnatoria vel declaratoria aut alias constet eum esse irretitum excommunicatione; et quidem auxilium vel favor impendi debet *in crimine*, ut dicunt, *criminoso*, seu in delicto propter quod excommunicatio lata est, non vero in quopiam alio. Palam est, agi de crimine iam *commisso* (1); hinc si quis auxilium vel favorem praestaret in delicto propter quod excommunicatione plectitur delinquens, censuram hanc non contraheret, quia nondum reus est *excommunicatus*.

Itaque, ad censuram incurrendam, requiritur, ut scias 1° Titium esse excommunicatum vitandum; 2° fuisse excommunicatum ob tale delictum; 3° auxilium vel favorem ei impendere, sub censura vetari; 4° ut praecise ob delictum, propter quod excommunicatus fuit, intendas auxilium vel favorem praebere.

108. — CLERICI; non ergo laici, mares sint feminaeve. Episcopi, ut notum est, haud veniunt in odiosis sub nomine *clericorum;* idcirco excommunicatione hac non feriuntur. Opinamur, praesertim ex praescripto cc. 107, 108, § 1, 488, 4°, 491, etiam religiosos comprehendi, licet iure antiquo, iuxta quosdam auctores (2), non comprehenderentur.

SCIENTER ET SPONTE. — Excusat ignorantia etiam crassa vel supina, nec non metus levis. Ut clericus censuram contrahat, necesse est, noverit 1° Titium esse excommunicatum vitandum; 2° communicationem in divinis cum eodem prohiberi sub hac poena.

IN DIVINIS CUM EODEM COMMUNICANTES ET IPSUM IN DIVINIS OFFICIIS RECIPIENTES. — Censura incurritur ob communicationem *in divinis*, non vero *in civilibus* seu profanis; quae communicatio oportet gravis sit, secus, ratione parvitatis materiae, censura non contrahitur. Verba « *et ipsum in divinis officiis recipientes* » accipi debent tamquam explicativa ac determinativa prioris partis, ita ut communicatio in divinis, quae sub huius excommunicationis poena prohibetur, ea tantum sit, qua vitandus ad officia divina obeunda admittatur. *Divina officia* sunt ea, quae clerici obeunt, ut Ecclesiae ministri (3), scil. Missae sacrificium, functiones ecclesiasticae, horae canonicae aliaque sacra ministeria. *Recipientes* ii dicuntur, quorum est admittere vel prohibere, nempe rectores ecclesiarum et alii clerici, ad quos ex officio spectat praefatum munus.

(1) Ratio censurae est, quia auxilium vel favor cedit in gravem contemptum auctoritatis ecclesiasticae, quatenus punitionis ab ea inflictae minuit efficaciam. Cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 150; Pennacchi, *op. cit.* I, p. 1041.

(2) Cfr. Buccaroni, *l. c.* n. 71; Pighi, *l. c.* n. 513.

(3) Can. 108, § 1 et 2256, n. 1.

Hi tantum excommunicationi subiacent, non vero qui, puta, Missam excommunicati vitandi audiant vel privatim cum eodem horas canonicas persolvant.

V.

« *Si quis contra praescriptum can.* 120 *ausus fuerit ad iudicem laicum trahere... alium Episcopum* (praeter Ordinarium proprium) *etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum* nullius, *vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam... incurrit* » (can. 2341).

109. — Si quis etc. — Huc pertinent quae supra tradidimus (n. 92 s.).

Alium Episcopum etiam mere titularem, scil. tam *residentialem* Episcopum, dummodo ne sit Ordinarius proprius, quam mere *titularem* (1). Ratio est character seu dignitas episcopalis, cui tuendae merito consulit ius.

Aut Abbatem vel Praelatum nullius » (2), qui, sedulo animadvertas etiam heic velimus, Ordinarius proprius non sit; nam si Abbas vel Praelatus *nullius* a subdito in ius rapiatur, excommunicatio speciali modo reservata incurritur.

Vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii Superioribus. — Nomine *religionis*, venit societas, a legitima auctoritate ecclesiastica approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt (3). Religio *iuris pontificii* ea est, quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta (4). Nomine autem *Superiorum maiorum* veniunt Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorumdem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes (5).

(1) Cfr. cc. 334, § 1, 348, § 1.
(2) Can. 319, § 1.
(3) Can. 488, n. 1°.
(4) Can. cit. n. 3°.
(5) Can. cit. n. 8°.

Excommunicatio haec tenet *extraneos*, non autem *subditos* religiosos, qui, ut supra dictum fuit de Episcopo vel Abbate aut Praelato *nullius*, trahentes ad iudicem laicum aliquem ex praefatis Superioribus, in censuram speciali modo S. Sedi reservatam incurrunt.

VI.

« *Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata:* 1° *Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes;...*

« 2° *Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes;...*

« 3° *Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can.* 601 » (can. 2342).

110. — Clausuram, scil. *papalem*, quae in domibus regularium sive virorum sive mulierum canonice constitutis, etiam non formatis, servari debet. Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis; excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio. Partes clausurae legi obnoxiae patenter sunt indicandae; et clausura monasterii monialium ita circumsepta esse debet ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externarum personarum (1).

Monialium, seu religiosarum quae vota sollemnia nuncupant (2). Attamen in monasteriis monialium etiam novitiae quin et adspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur (3).

Violantes ii sunt, qui sine legitima licentia ingrediuntur. Ad censuram incurrendam necesse haud est, ut olim (4), ingredi *ad malum finem* vel *praetextu licentiarum;* at, contra non paucos doctores, putamus omnino requiri, ut quis *vere* ingrediatur, h. e.

(1) Cfr. cc. 597, 602.

(2) Can. 488, n. 7°.

(3) Can. 541.

(4) Cfr. Decr. S. C. C. iussu Clementis VIII editum 10 mart. 1602; S. Alph., *l. c.* n. 221.

toto corpore, non autem *uno passu* seu *pede;* secus deest verus proprinsque ingressus, iuxta communem hominum aestimationem ipsumque canonis obvium sensum. Num detur parvitas materiae hac in re, vide infra n. 115.

Cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, nempe nobiles et plebei, mares ac feminae, privatae et publicae personae, laici et clerici. Impuberes, secus ac antea, excommunicationi haud subsunt; ideoque verba: « *cuiuscumque... aetatis* », quae in Const. « *Apostolicae Sedis* » (1) legebantur, consulto legislator omisit.

Disputabant olim auctores num ipsi etiam Ordinarii, quibus tantum sacrae visitationis gratia ingredi licet, incurrerent in excommunicationem, necne, si extra praefatum casum ingrederentur. Iure novo opinamur esse omnino affirmandum, tum quia can. 600, 1°, expresse statuit, Ordinario loci aut Superiori regulari licere « clausuram ingredi *dumtaxat* inspectionis causa », tum quia idem canon decernit, alias opus esse *licentia S. Sedis;* dum e contra, iure antiquo, Episcopus ipse auctoritate ordinaria vel delegata, prout monasteria erant ei immediate subiecta vel S. Sedi, licentiam ingrediendi concedebat, et quidem una cum Praelato regulari etiam quoad monasteria regularibus subiecta. Exinde non immerito patroni sententiae negantis ita ratiocinabantur: « neque comprehendi videntur praelati sive saeculares sive regulares... *nequit enim de ipsis dici quod ingrediantur absque facultate* » (2). Quae ratio, attento can. 600, sponte corruit; consequenter eiusdem sententiae probabilitas, nostra sententia, cessat.

Possunt ingredi in monasteria monialium: 1° S. R. E. Cardinales; 2° qui supremum *actu* (nota verbum) tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu; 3° Ordinarius loci et Superior regularis quinto quoque anno per se vel per alium (3) inspectionis causa dumtaxat, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur; 4° confessarius aut qui eius vices gerit, debitis servatis cautelis, ad Sacramenta ministranda infirmis vel ad assistendum moribundis; 5° medici, chirurgi, fabri aliique quorum opera sit necessaria, ex permissione Antistitae, adhibitis debitis cautelis et impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci, quae approbatio iure praesumitur si necessitas urgeat nec tempus suppetat eam petendi (4).

In earum monasteria... ingrediendo, scil. ii omnes et soli excommunicationem contrahunt, qui revera ingrediuntur intra septa,

(1) Cfr. ser. 2, n. 6.
(2) Bucceroni, *l. c.* n. 51.
(3) Can. 512.
(4) Can. 600.

quibus est signata clausura materialis monasterii, non verum qui solum attentant aut ad locum clausurae haud obnoxium se conferunt (1).

Sine legitima licentia, quae, aliter ac antea, ut supra diximus, nonnisi a Sede Apostolica, h. e. a S. C. negotiis religiosorum sodalium praeposita dari potest. Confessarius vel qui eius vices gerit nec speciali neque generali indiget licentia, cum ex iure eam habeat, vi ipsius muneris quo fungitur (can. cit. n. 2°). Medicus, chirurgus, faber aliique quorum opera est necessaria, indigent, ut palam est, permissione Antistitae seu Abbatissae, quae, nisi urgeat necessitas ac tempus desit, tenetur prius impetrare a loci Ordinario (Episcopo, Vicario Generali, Vicario Capitulari, Administratore Apostolico etc.) *approbationem* (2) vel singulis vicibus vel saltem habitualem.

111. — Pariterque eos introducentes. — Alia indicatur classis personarum, quae censura feriuntur. *Introducere* est intus mittere, invitare, ducere, ingredi volenti ianuam aperire : quae quidem et ab iis praestari possunt, qui monasterio sunt extranei (3). Non comprehenduntur faventes, auxiliantes etc., neque locorum Ordinarii, qui, ad ingressum quod attinet medici aut chirurgi aliorumve, approbationem sine iusta causa concedant.

112. — Vel admittentes. — Tertia personarum classis exprimitur. *Admittere* spectat ad personas ipsas monasterii, et quidem ad eas tantum quae ingressum non prohibent, seu positive seu negative, *cum possint ac debeant ex officio*, ut ianitrix, antistita vel abbatissa. Si alia privata monialis ianuam aperiret ingredi volentibus, ea potius ad *introducentes* quam ad *admittentes* spectaret (4). Putamus, perspecta sive voce ipsa *admittere* sive mente legislatoris, censuram incurri etiam si, *modo facile id fieri possit*, non expellantur, i. e. sponte detineantur, qui palam aut clam ingressi sint.

Iure antiquo auctores disputabant num excommunicatione tenerentur, necne, introducentes vel admittentes puerulum aut puel-

(1) Cfr. Ferreres, *l. c.* n. 989 ; Génicot, *l. c.* n. 599 ; De Siena, *l. c.* p. 125 ; Ciolli, *l. c.* n. 124.

(2) Nota discrimen *approbationem* inter et *licentiam*. Approbatio in eum finem requiritur ut Ordinarius loci, circumstantiis omnibus mature perpensis, iudicet num ingressus medici, chirurgi etc. sit vere necessarius. Qua necessitate recognita seu circumstantiis verificatis, *licentia* proprie dicta opus non est.

(3) D'Annibale, *l. c.* n. 123 ; Ball.-Palm., *l. c.* n. 459 ; Bucceroni, *l. c.* n. 51.

(4) Cfr. Ball.-Palm., *l. c.*

lam nondum septennem (1). Ad ius novum quod spectat, perpensis huius canonis verbis, negativa sententia videretur omnino amplectenda, quia censura plectit introducentes vel admittentes *eos*, scil. *violantes clausuram monialium;* porro hac voce non comprehendi infantes sui compotes neque impuberes ipsos, manifesto liquet ex can. 2230. Verum si vim ac finem legis inspiciamus et n. 1° canonis cum n. 2° comparemus, aliter opinamur. Etenim Superiores aliique, introducentes vel admittentes puellas *cuiuscumque aetatis*, proinde etiam impuberes, excommunicationi certe subiacent. Eadem censura curnam haud plectuntur moniales introducentes vel admittentes pueros, adhuc impuberes, h. e. ante expletum decimum quartum aetatis annum? Nonne eadem ratio militat idemque finis? Profecto adfirmandum. Eo vel magis quod can. 600 statuit: « intra monialium clausuram, nemo, *cuiusvis... aetatis* admittatur sine Sanctae Sedis licentia ». Quibus mature perpensis, remur excommunicationem contrahere introducentes vel admittentes impuberes, nisi dicere velimus, quod procul absit, legislatorem sibimet contradicere.

113. — Mulieres; non ergo viri; cuiusvis generis aut conditionis, exceptis tantum uxoribus eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu (2); exceptisque semper impuberibus, seu puellis quae nondum expleverint decimum secundum aetatis annum.

Violantes... clausuram. — Huc spectant quae supra diximus (n. 110).

Regularium virorum, nempe eorum qui sollemnia vota in Ordine nuncupant (3).

114. — Et Superiores aliique, quicumque ii sint. — Nedum maiores sed etiam inferiores certe comprehenduntur Superiores, scil. omnes qui potestate gaudent iuxta proprias cuiusque Ordinis constitutiones, quovis nomine vocentur, puta, abbates, priores, rectores etc. At praeter Superiores, excommunicationi subsunt *alii, quicumque ii sint;* quae verba latissime sunt accipienda, ita ut nemo, dummodo pubes, excipiatur, clericus sit vel laicus, i. e. conversus, professus aut novitius vel postulans (4), sodalis religiosus vel extraneus monasterio.

(1) V. D'Annibale, *l. c.* n. 123, 7; Pennacchi, *op. cit.* I, p. 746; Marc, *Inst. mor. alph.*, Romae, 1898, I, n. 1333, Lehmkuhl, *l. c.* n. 1231; Pighi, *l. c.* n. 503, 2; Vermeersch, *l. c.* 310.

(2) Can. 598, § 2.

(3) Can. 488, n. 2° et 7°.

(4) Cfr. can. 539, § 1.

Eas cuiuscumque aetatis, nempe mulieres, etiam impuberes, quin et nondum septennes. Consulto legislator hisce verbis usus est, ut nimirum suprema sua auctoritate controversiam auctorum dirimeret, quorum haud pauci docebant excommunicationem non incurri, si puellae septennio minores admitterentur (1).

Introducentes vel admittentes. — Quid sit *introducere*, quid *admittere*, iam explicavimus (n. 111 s.). Iure antiquo (2) admittentes solum, non autem introducentes, excommunicatione plectebantur. Ut Superiores aliique censuram contrahant, oportet, vere *introducant* vel *admittant*, iuxta traditam doctrinam. Addimus, excommunicationem incurri etiamsi introducantur seu admittantur mulieres fatuae et mentis inopes, cum lex non distinguat ac eadem profecto militet ratio, nempe castitatis tuendae causa.

Moniales, i. e. votorum sollemnium. Subiacentne huic censurae mulieres quae nonnisi votorum simplicium professionem ad triennium valituram sollemnibus praemiserint, ad normam can. 574, § 1? Negative respondendum est, licet et ipsae, sicuti novitiae et adspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae teneantur, uti can. 540, § 3 expresse statuit.

115. — E clausura illegitime exeuntes. — *E clausura*, quatenus ad censuram incurrendam requiritur et sufficit ut monialis e septis clausurae vere i. e. toto moraliter corpore egrediatur etiam brevissimo tempore. Itaque excommunicationem contrahit si ingrediatur publicum monasterii templum aut continens sacrarium, vel adeat hospitium pro advenis vel collocutorium (3); item si ascendat supra tectum *externum* monasterii (4); si per fenestram extra murum se suspendat; si collocans se in rota, hanc ad externam partem patentem convertat; si ascendat arborem qua parte muros clausurae praetergreditur, ut totum eius corpus extra clausuram sit. Controvertitur num in his similibusve casibus detur parvitas materiae ideoque an excommunicatione feriatur monialis, puta, quae uno vel altero palmo progressa, statim reversa, in monasterium se recipiat. Sententia quae parvitatem materiae admittit, nobis videtur vere probabilis, saltem ubi nullum est periculum conveniendi cum exteris, et statim receditur intra clausuram (5).

(1) Cfr. Sanch. in Dec. lib. VI, cap. 17, n. 4; Pellizar., *Man. Reg.*, tract. V, cap. 6, n. 37; D'Annibale, *l. c.* n. 128, 9; Noldin, *l. c.* n. 79; Vermeersch, *l. c.*

(2) Cfr. Const. « *Apost. Sedis* », ser. 2, n. 7.

(3) Cfr. can. 597, § 2.

(4) Tectum monasterii esse extra clausuram declaravit S. C. EE. et RR. *in Comen.* 18 sept. 1609 et *in Lycien.* 16 sept. eiusdem anni.

(5) Cfr. Croix, lib. I, n. 673; Reuter, *Theol. Mor.*, I, n. 149; S. Alph., lib. VII, n. 229; Ferraris, *Bibliotheca* etc. v. *Moniales*, art. 3, n. 12 ss.; Ball.-Palm., *op. cit.* tract. IX, cap. 1, n. 161; Noldin, *l. c.* n. 78; Lehmkuhl, II, n. 1232.

Illegitime, h. e. contra praescriptum can. 601, ut infra dicetur. *Exeuntes;* non ergo comitantes moniales egressas, vel adiuvantes, aut recipientes etc.; neque ipsae egressae constituto tempore non revertentes, etsi graviter peccent (1).

Contra praescriptum can. 601, quod ita se habet: « Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario ». Dicitur *post professionem*, et quidem sollemnem, nam, dum peragit postulatum vel novitiatum, imo exacto etiam temporariae professionis tempore, mulier aut sponte sua ad saeculum potest redire, aut a Superioribus iustam ob causam dimitti (2). Ut moniali liceat e monasterio exire, quin excommunicatione plectatur, opus est *speciali indulto S. Sedis*, seu S. C. negotiis religiosorum sodalium praepositae. Excipitur 1° casus *imminentis periculi mortis*, puta, incendii, inundationis, ruinae aedificii, pestis etc.; 2° casus *alius gravissimi mali*, quod vitae aut virtuti monialium imminet, ex. gr. latronum incursus, hostium violentia, praesertim haereticorum vel schismaticorum, dira amentia alicuius monialis, quae totam communitatem perturbet quaeque ex peritorum sententia sit deferenda ad publicum nosocomium.

Periculum, de quo supra, modo tempus suppetat, Ordinarius loci, etiam si agitur de monasteriis Superioribus regularibus subiectis, *scripto* recognoscere debet, ut, quoad fieri possit, quilibet abusus vel hallucinatio in re tanti momenti vitetur. Moniales, quoties egrediuntur contra praescriptum cit. can. 601, *illegitime* exeunt ac ideo in censuram incurrunt.

Itaque, conclusionis gratia, septem personarum classes hac excommunicatione plectuntur: *a*) violantes clausuram monialium; *b*) eos introducentes; *c*) eos admittentes; *d*) mulieres violantes clausuram regularium virorum; *e*) Superiores eas introducentes vel admittentes; *f*) alii, quicumque sint, item eas introducentes vel admittentes; *g*) moniales e clausura illegitime exeuntes.

VII.

« *Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per*

(1) S. Alph., *l. c.*, n. 229; Ciolli, *l. c.* n. 126, 3°.
(2) Cfr. cc. 571, 575, § 1.

alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subiaceat, quamdiu bona ipse integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit » (can. 2346).

116. — Si quis, quicumque is sit, laicus vel clericus, etiam regularis, ipse quoque, ut opinamur, Episcopus; nam verba iuris antiqui, i. e. Concilii Trid. Sess. XXII, cap. 11 *de reform.*, quae regulares haud respiciebant nec probabiliter Episcopos (1), a legislatore consulto immutata fuerunt.

Bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sensu latissimo accepta, nempe omnia bona quae pertinent ad entia ecclesiastica seu pia, modo haec erecta sint et administrata ab Ecclesia, velut ecclesiae, beneficia saecularia et regularia, seminaria, monasteria, Ordines regulares, Congregationes religiosae aliaque id genus instituta, piae confraternites, hospitalia etc. (2).

Palam est agi de bonis, *quorum habetur iam dominium et possessio*, seu *ius in re*, non autem de iis *quae nondum possidentur*, ex. gr. legata pia a testatore relicta, aut quorum nonnisi ius ad rem habetur. Itaque huc spectant quaevis bona, etiam fructus sive naturales sive civiles, census, emolumenta universa, super quae Ecclesia habet *ius in re*.

Sive mobilia sive immobilia. — Ea dicuntur *mobilia*, quae de loco in locum vi sua vel aliena moventur; *immobilia*, quae, salva eorum substantia, de loco in locum moveri nequeunt (3), sive *naturaliter*, ex. gr. agri, sive *civiliter*, ex. gr. portae vel fenestrae; nam, licet huiusmodi res ex natura sua absolute loco moveri possint, tamen ad perpetuam quamdam rei immobilis utilitatem destinatae sunt; ex quo fit ut ipsae quoque accessorie vel civiliter immobiles dicantur (4).

Iura et obligationes sequuntur conditionem rei, cui inhaerent; ideo adcensentur partim rebus mobilibus, partim immobilibus.

Sive corporalia sive incorporalia. — Quae sensu corporeo attingi possunt, ut praedia, pecunia etc., vocantur *corporalia;* quae solo intellectu percipiuntur, v. gr. iura, actiones, obligationes, *incorporalia* (5).

(1) V. Bucceroni, *l. c.* n. 73; Pighi, *l. c.* n. 515.
(2) Cfr. can. 1497, § 1.
(3) *Inst.* II, 1, § 12 s.; D. 41, 1, *de acqu. rer. dom.;* D'Annibale, II, n. 108.
(4) D'Annibale, *l. c.* n. 4.
(5) Schmalzgr., lib. III, tit. XIII, n. 2; Wernz. III, n. 134, III, a.

Praefata bona ecclesiastica dividuntur in *communia* seu *profana*, *sacra* et *pretiosa*. *Profana* seu *communia* ea sunt, quae speciali consecratione vel benedictione aut deputatione ad cultum divinum carent (1) et intra commercium humanum existunt, velut praedia, animalia etc.; « dicuntur *sacra*, quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt; *pretiosa*, quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa » (can. cit. § 2).

Per se vel per alios; ergo etiam *mandantes* comprehenduntur; non tamen consentientes vel ceteri cooperatores, licet clerici sint, cum antiquum ius hac in re immutatum fuerit.

117. — In proprios usus convertere et usurpare praesumpserit etc. — Actiones quae censura coercentur, quamplures sunt: usurpatio seu occupatio quaelibet auctoritativa, emptio, acceptio ex quocumque titulo etiam haereditatis vel donationis, conductio; imo quodvis impedimentum, ex quo fiat ne bona ecclesiastica ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur.

Excommunicationi haud subiacent: 1° fures et latrones (2); 2° civitatis consiliarii eorumque Maior, qui bonum quoddam ecclesiasticum, non in proprios, sed in communes urbis usus acquirunt (3); at si praefatum bonum sive totum sive per partes vendibile proponatur a civitate, novi emptores, qui in proprios usus id acquirant, censuram contrahunt (4); 3° emptores fructuum naturalium publicae venditioni expositorum (5); 4° notarii, scribae, quotquot minus principaliter partes habuerunt in bonorum direptione (6).

Cum dicatur « *si quis... praesumpserit* », patet excusare a censura incurrenda ignorantiam etiam crassam et supinam, ac metum etsi levem.

Excommunicationi tamdiu subiacent, quamdiu etc. — Hisce verbis conditio exprimitur pro absolutione censurae obtinenda, scil. integra bonorum restitutio ac remotio impedimenti ut eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipi queant; cui conditioni satisfacere quis debet, antequam a Sede Apostolica impetret absolutionem.

(1) Wernz, *l. c.* d.
(2) S. C. C. 27 febr. 1696; S. O. 9 mart. 1870.
(3) S. Poenit. 3 ian. 1906.
(4) S. Poenit. 8 mart. - 9 maii 1906.
(5) S. Poenit. 5 Aug. 1907.
(6) S. Poenit. 17 sept. 1906.

VIII.

« *Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae* » (can. 2351, § 1).

118. — Hac censura *principaliter* plectuntur perpetrantes, provocantes et acceptantes; ceteri omnes *accessorie*, h. e. ratione cooperationis ad duellum. Ut excommunicatio incurratur sufficit quoad primos *provocatio* vel *acceptatio*, dummodo hi actus vere ex animo fiant, non simulate, quamvis duellum secutum haud fuerit; quoad alios, qui accessorii sunt, necesse est, duellum reapse sequi, illudque verum, non fictum (1).

Duellum, i. e. singulare certamen letalibus armis ex condicto susceptum, seu pugna duorum, armis natura sua valentibus mortem inferre, ex conventione de loco, tempore et armis (2), licet « convenerint, ut non singuli cum singulis, sed bini terni, aut plures hinc inde pugnent » (3), scil. unus adversus unum, etsi plures successive (4) cum eodem commiserint (5). Itaque duellum non habetur, si dimicetur pugnis, bacillis aut etiam ferro, acie retusa, quamvis per accidens mors sequatur (6).

119. — Perpetrantes, nempe qui duellum committunt, sive *sollemniter*, h. e. adhibitis patrinis, provocationis litteris seu libello etc., sive *privatim;* sive *fatale*, usque ad alterius occisionem, sive *non fatale*, si pactiones initae fuerint de certamine dirimendo,

(1) D'Annibale, *Comm.*, n. 115, 27; Pennacchi, *l. c.* p. 578

(2) Controvertitur num excommunicationem contrahat qui aliquem *indeterminate*, ex. gr. ex coetu praesentium, provocaverit, aut qui serio provocat vel acceptat, nulla conventione inita de loco, tempore et armis. Iure novo, attento praesertim praescripto can. 2219, § 1, videtur tenenda sententia negativa. Cfr. Gregorii XIII Const. « *Ad tollendum* », § 1; Clementis VIII, Const. « *Illius* », § 3; Bened. XIV, Const. « *Detestabilem* », § 2; S. Alph., III, n. 401. D'Annibale, *l. c.*

(3) Clem. VIII, C. *Illius*, § 3.

(4) Dicitur *successive*, quia si plures, agmine facto, concurrerint, duellum non intelligitur, ut liquet ex citata Const. Clementis VIII.

(5) D'Annibale, *l. c.* et *Summula*, II, n. 294; Wernz, VI, n. 377.

(6) Cfr. Ball.-Palm. *l. c.* n. 450.

cum primum alteruter vulneratus fuerit, aut certus ictuum numerus utrimque fuerit illatus; dummodo, nota, duellum *de se* letale sit (1).

Aut simpliciter ad illud provocantes, scil. qui primi adversario duellum offerunt ineundum, seu verbo seu scripto aliove modo, licet adversarius non acceptet.

Vel ipsum acceptantes, nempe qui oblato duello ineundo consentiunt aut verbis aut scripto vel alio signo exteriore, etsi duellum ex quocumque impedimento non fiat.

Vel quamlibet operam aut favorem praebentes. — Necesse est, opera seu favor *proximus* sit atque *efficax*. Ideo excommunicationi subsunt: *a*) mandantes et consulentes; *b*) patrini ac testes; *c*) qui libellum provocationis scribunt aut scienter deferunt vel affigunt; *d*) armorum magistri, qui duellum inituros praeparant seu instruunt; *e*) qui duellantes ad locum praefixum comitantur; *f*) medici ex condicto duellantibus adsistentes; *g*) confessarii ipsi, qui ex condicto non longe absint suum ministerium duellantibus, si opus sit, praebituri (2); *h*) uno verbo, omnes, per quos fit ut duellum facilius tutiusve committatur. Universi hi complices et cooperatores censuram non contrahunt, nisi effectu secuto.

120. — Nec non de industria spectantes, h. e. qui data opera et quidem *palam* seu *consciis duellantibus aliisque* assistunt, quatenus nempe duellantibus ipsis vel animum erigunt vel « splendorem pugnae » addunt (3). Hinc excommunicationi haud subiacent, qui obiter seu casu per locum duelli transeuntes aspiciant curiositate ducti; qui spectent a longe, vel in secreto, aut alio modo, quin animum adiiciant ad pugnam acuendam; a fortiori, qui locum adeant duelli, ut illud impediant (4).

Illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, i. e. personae publica auctoritate, seu civili seu militari, praeditae, quae vel positive duellum permittant, vel, cum possint, non prohibeant; uti sunt principes in suis territoriis, supremi exercitus duces quoad milites sibi subditos (3).

(1) Salmanticenses (10, 11, 34) putant vetari sub censura etiam duella non letalia. At, ut merito animadvertit clariss. D'Annibale (*l. c.* nota 55), eorum sententia falso nititur supposito. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 19 *de reform.*

(2) S. C. U. I. 28 maii 1884.

(3) Lehmkuhl, *l. c.* n. 1223.

(4) Cfr. Bucceroni, *l. c.*; Pighi, *l. c.* n. 500.

(5) Duellantes et eorum patrini sunt ipso facto infames (can. 2351, § 2); ac sepultura ecclesiastica privantur mortui in duello aut ex vulnere inde relato (can. 1240, § 1, n. 4).

IX.

« *Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam* » (can. 2388, § 1).

Iure antiquo excommunicatio Ordinario reservata incurrebatur.

121. — Clerici in sacris constituti, nempe subdiaconatus saltem Ordine aucti, non autem tonsura solum vel Ordinibus minoribus.

Vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, non autem post votum simplex castitatis sive perpetuum sive temporarium (quo in casu, ut suo loco dicetur, contrahitur excommunicatio Ordinario reservata); illud sane votum requiritur, quod nuptias irritas ac nullas efficiat utpote impedimentum dirimens.

Itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis, scil. praeter clericos in sacris constitutis et regulares vel moniales, excommunicatione ii etiam tenentur, qui cum ipsis contrahant.

Matrimonium etiam civiliter tantum; non ergo propter concubinatum. Obiectum enim censurae est *matrimonium*, sive in facie Ecclesiae initum, invalidum utique propter impedimentum Ordinis vel voti sollemnis, sive ritu civili tantum contractum (1). Nihil interest utrum alia quoque obsint impedimenta, puta, consanguinitatis vel affinitatis (2); requiritur et sufficit sacrilega unio formam matrimonii vere praeseferens. Quae forma deest atque ideo censura non incurritur, si validitati obsit error vel metus aut alterutrius simulatus consensus (3), modo, nota, id certo constet.

Contrahere praesumentes. — Vox « *praesumentes* » respicit sive clericos vel regulares aut moniales, sive omnes cum ipsis contrahentes. Quaelibet ignorantia iuris et facti, etiam crassa et supina, et metus, levis quoque, ab ecclesiastica poena excusat. Cognitio requiritur *in actu ineundi matrimonii;* idcirco si ignoranter contraxerint et postea, re cognita, in cohabitatione perseverent, excommunicationi haud subsunt. Tamen ad censuram incurrendam, opus minime est ut matrimonium sit consummatum.

(1) Hoc declaratum iam fuerat a S. O. die 22 dec. 1880.
(2) S. O. 13 ian. 1892.
(3) Lehmkuhl, *l. c.* n. 1246 ; Pighi, *l. c.* n. 517; Ciolli, *l. c.* n. 152.

X.

« *Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam* » (can. 2392, 1°).

122. — Delictum perpetrantes simoniae. — Studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, ex. gr. Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias etc., vel rem temporalem rei spirituali adnexam ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex gr. beneficium ecclesiasticum etc., aut res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus, ex. gr. consecratio in calicis consecrati venditione, est *simonia iuris divini* (1). Dare vero res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur, est *simonia iuris ecclesiastici* (2). Non habetur simonia, cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito; item cum datur res temporalis pro re temporali, quae tamquam subiectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex. gr. calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem (3).

Inter simoniam iuris divini et simoniam iuris ecclesiastici hoc magnum viget discrimen. Prior mala est ipsa rerum natura; posterior solum ob Ecclesiae prohibitionem, ideoque cessare potest, accedente gravi causa, non aliter ac quaevis lex mere ecclesiastica (4).

Simonia est: *a*) mere *interna*, si animi propositum eam committendi nondum exterius sit manifestatum; *b*) *externa*, quae in actum externum vere prodit; *c*) *mentalis*, si, quamvis in actum externum prodierit, nullum tamen intercesserit pactum tacitum vel expressum; *d*) *conventionalis*, si huiusmodi pactum vel tacitum vel expressum adfuerit; quae subdistinguitur in *puram*, *mixtam* et *realem*; *e*) *conventionalis pura*, quae consistit in solo pacto ta-

(1) Can. 729, § 1.
(2) Can. cit. § 2.
(3) Can. 730.
(4) Génicot, *op. cit.* I, n. 284.

cito aut expresso, traditione ex neutra parte secuta; *f) conventionalis mixta*, si ad pactum ex alterutra parte accesserit traditio sive mercis sive pretii; *g) conventionalis realis*, quae habetur, si pactum simoniacum ex utraque parte fuerit consummatum per traditionem mercis et pretii (1).

Simonia, iure antiquo magni profecto momenti, quae speciatim circa sola beneficia committitur, est *confidentialis;* sic nuncupata a *fiducia*, quam unus constituit in altero, in quem beneficium transfert. Haec simonia, iure speciali Ecclesiae introducta (2) ac definita (3), est species quaedam simoniae *conventionalis*, qua quis alteri procurat beneficium ecclesiasticum quoquo modo i. e. per electionem vel praesentationem aut collationem vel resignationem in favorem illius, sub *eo pacto* confidentiae expresso vel tacito, ut is, qui beneficium obtinuerit, suo tempore illud cedat vel resignet in favorem eius, qui beneficium procuravit, vel alterius personae eidem bene visae, aut pensionem *solvat* ex fructibus beneficii (4). Etiam simoniae confidentiali applicatur divisio in puram, mixtam et realem.

In primis certum est, excommunicatione haud puniri simoniam mere internam. Re quidem vera nonnisi *delictum* simoniae punitur, quod essentialiter requirit actum *externum* canonicis poenis obnoxium. Item certum est simoniam *conventionalem* censura plecti, tum quia consulto, ut putamus, omissa fuerunt verba *realis* et *confidentialis* quae in iure antiquo habebantur (5), tum quia can. 728 haec habet: « Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio etc., *late accipiendae sunt pro qualibet conventione, licet ad effectum non deducta, etiam tacita*, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur ».

Ex quo liquet, ni fallimur, excommunicationem respicere, aliter ac antea (6), simoniam sive iuris divini sive iuris ecclesiastici, quin distinguendum sit realem inter et confidentialem, cum reipsa desit haec distinctio in Codice.

123. — In quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis. — Iure antiquo, praeter reos simoniae realis ob

(1) Schmalzgr., lib. V, tit. III, n. 27 ss.; Ball.-Palm., *op. cit.* tract. VI, sect. I, cap. 1, n. 246 ss.; Noldin, *op. cit.* II, n. 182; Génicot, *l. c.;* Lehmkuhl, *op. cit.* I, n. 530; Wernz, *op. cit.* VI, n. 341.

(2) Cfr. Pii IV Const. « *Romanum Pontificem* »; Pii V Const. « *Intolerabilis* ».

(3) Suarez, *l, c.* lib. IV, c. 43; Schmalzgr., *l. c.* n. 36 ss.

(4) Wernz, *l. c.;* Ball.-Palm., *l. c.* n. 256 ss.

(5) Cfr. Const. « *Apost. Sedis* », ser. 2, nn. 8, 9.

(6) Cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 132; Bucceroni, *l. c.* n. 57; Noldin, *l. c.* n. 80; Pighi, *op. cit.* III, n. 505.

ingressum in religionem, nonnisi rei simoniae realis vel confidentialis *in beneficiis* censura coërcebatur. Vox « quibuslibet », late accipienda, significat comprehendi omnia ecclesiastica officia, beneficia ac dignitates cuiuscumque generis et gradus. Attamen, uti palam est, non comprehenduntur officia ac dignitates in Ordinibus religiosis. Quid sit *officium*, quid *beneficium* ac *dignitas* alibi exposuimus (n. 40). Simonia committitur in electione, praesentatione, collatione aliisque actibus qui ad officiorum vel beneficiorum aut dignitatum provisionem pertinent.

Ius antiquum etiam complices reorum simoniae realis in beneficiis excommunicatione mulctabat (1), non ita ius novum. Huic censurae certe Cardinales non subiacent; contra, subsunt Episcopi, attento can. 2227, § 2 (2).

XI.

« *Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam* » (can. 2405).

124. — Vicarius Capitularis aliive omnes etc., seu clerici seu laici, sive de Capitulo ecclesiae cathedralis sint sive non, tam officiales Curiae episcopalis quam extranei. Hac censura non tenetur Episcopus.

Qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens. — Nihil interest utrum documentum sit privatum aut publicum, in communi vel potius in secreto archivo (can. 379, § 1)

(1) Cfr. Const. « *Apost. Sedis* », ser. 2, n. 8.

(2) Rei simoniae ipso facto privati manent in perpetuum iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant; si clerici sint, debent praeterea suspendi (can. 2392, n. 2 et 3). Provisio simoniaca beneficii vel officii aut dignitatis omni vi caret, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi aut eo contradicente. Quare : 1° Ante quamlibet iudicis sententiam res simoniace data et accepta, si restitutionis sit capax nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet, et beneficium, officium, dignitas dimitti ; 2° Simoniace provisus non facit fructus suos; quod si eos bona fide perceperit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus perceptos ex toto vel ex parte ei condonare (can. 729).

custoditum, hanc illamve rem aut personam respiciat. Necesse tamen est, 1° documentum pertineat, qua tale, ad Curiam episcopalem; 2° sit alicuius momenti, ita ut notabile damnum, ad materiam gravem scil. attingens, sequatur ex eiusdem subtractione, destructione etc. Defectu unius alteriusve conditionis excommunicatio potest quandoque haud incurri.

Sive per se sive per alium; ergo etiam *mandantes* censura plectuntur. Non vero ceteri cooperatores.

Subtraxerint vel destruxerint etc. — Quatuor sunt actiones sub excommunicationis poena prohibitae, i. e. documenti *subtractio*, *destructio*, *occultatio* et *immutatio*. Non quaevis immutatio, sed *substantialis* tantum, qua nempe sensus principaliter intentus alteratur. Actiones istae *dolo malo*, uti manifestum est, poni debent, seu ex culpa gravi, secus censura non contrahitur.

Articulus IV.

De excommunicationibus Ordinario reservatis.

I.

« *Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici:*

« 1° *Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can.* 1063;

« 2° *Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;*

« 3° *Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt;*

« 4° *Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt* » (can. 2319, § 1).

Quatuor personarum classes expressis verbis determinatae huic excommunicationi subiacent.

125. — Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063. — Praescriptum ita se habet: « Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium

coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum... Non improbatur tamen quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia » (§§ 1, 3).

Itaque ad censuram incurrendam necesse est, catholici adeant ministrum acatholicum non tamquam officialem civilem, actus civilis tantum explendi causa, sed uti *sacris addictum*, et quidem *ad matrimonium coram eo ineundum*, licet nuptiae iam celebratae aut mox sint celebrandae in facie Ecclesiae, idque sive per se sive per procuratorem nupturientes agant. Quamvis canon cit. (§ 1) dicat: « *etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis* », manifestum est excommunicationem contrahi etiam si praefata dispensatio impetrata non fuerit, aut utraque pars catholica sit.

126. — Qui matrimonio uniuntur etc. — Intellige matrimonium verum seu religiosum, sive mixtum sit, sive non; *pactum*, explicitum vel implicitum, tam scripto quam nudis verbis initum, quavis forma ac ratione expressum; *omnis vel aliqua proles*, scil. *sua*, non aliena, etiam si unus tantum liber, puta primogenitus, *educetur extra catholicam Ecclesiam*, i. e. non informetur iis e doctrina Ecclesiae Christi acceptis primis principiis quae ad vitam liberorum intellectualem ac religiose moralem recte explicandam necessaria sunt quaeque eorumdem animos ad humanitatem, bonos mores atque religionem disponunt et firmant (1).

Pactum debet aut praecedere aut saltem concomitari matrimonii celebrationem; quocirca excommunicationi haud subsunt coniuges, qui, nuptiis iam celebratis, inter se paciscuntur.

127. — Qui scienter liberos suos etc. — *Scienter;* ideo excusat ignorantia nedum facti, verum etiam legis aut solius poenae, licet crassa vel supina; *liberos suos*, non *alienos;* quapropter in censuram non incurrit obstetrix aliusve prolem baptizandam ad ministrum acatholicum deferens; *acatholicis ministris, cuiusvis* sectae, qui uti tales probe agnoscantur; *baptizandos*, intellige extra casum necessitatis, sive sollemniter sive etiam privatim; *offerre praesumunt*, h. e. scienter postulant liberos suos ab acatholico ministro baptizari; ergo excusat ignorantia, licet crassa vel supina, et metus etiam levis.

(1) Cfr. Meyer, *op. cit.* I, n. 408, 2.

128. — Parentes vel parentum locum tenentes etc. — *Parentes*, sive uterque sive alteruter tantum, sive legitimi sint sive non; *parentum locum tenentes*, nempe *tutores* aliique, quibus ex lege ius et officium est consulendi educationi ac institutioni prolis, tam de familia quam extranei; *qui liberos in religione acatholica*, quaecumque ea sit; *educandos vel instituendos;* nota discrimen educationem inter et institutionem, stricte loquendo, quamvis non raro promiscue usurpentur (1); *scienter tradunt;* hinc opus est, probe noverint 1° agi de educatione vel institutione *acatholica;* 2° id ab Ecclesia prohiberi sub excommunicationis poena; inde sequitur ignorantiam etiam crassam vel supinam excusare. Haec censura *catholicos* tantum tenet, non vero acatholicos baptizatos (2).

II.

« *Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit* » (can. 2326).

129. — Qui falsas reliquias etc. — Intellige *Sanctorum reliquias*, quarum nomine veniunt corpora nec non partes, etiam minimae, ex. gr. caput, manus, brachium, digiti, ossa, dentes, capilli, cineres; item vestes, panni ac vela quibus post mortem eorum corpora aut partes involutae fuerunt; pariter instrumenta poenarum, ex. gr. crux, gladius etc. et instrumenta quoque mortificationum, ut cilicium, catena, aliaque id genus (3).

Conficit, aut scienter vendit etc. — Quatuor sunt actiones quae hac censura coërcentur, nempe *confectio* reliquiarum, *venditio*, *distributio* et publicae venerationi *expositio*. *Conficit* i. e. fraude componit seu confingit reliquias easque veluti authenticas exhibet, ut alios in dolum inducat. *Scienter;* haec vox ad omnes

(1) Vide quae scitissime tradit hac de re clar. Meyer, *op. cit.* I, n. 408, II, n. 660 ss. « Duplex scholarum classis — ait ipse (II, 662) — distinguenda est: altera earum, quae ex fine suo proprio et principali ad *educationem* pertinent, sive pro inferiore et omnibus communi sive pro altiore gradu complendam; altera earum, quae ex instituto *educationem* illam altioris gradus *iam completam supponunt* ».

(2) Qui valide baptizatus fuerit in secta acatholica, et educatus in religione catholica, huic censurae subiacet; aliter putamus de eo qui in catholica religione baptizatus sit, at in secta acatholica educatus.

(3) Cappello, *De visit. SS. Liminum* etc., I, cap. II, tit. 14 *De sacris Reliquiis*, p. 168 ss.

actiones subsequentes refertur, scil. non modo ad eum qui vendit, sed etiam ad eum qui distribuit vel exponit. Proinde excommunicatio haud incurritur, nisi quis cognoscat 1° reliquias esse falsas; 2° earumdem venditionem, distributionem ac publicae venerationi expositionem sub censura vetari. *Vendit*, seu palam seu clandestine; *distribuit*, licet gratis omnino et nulla prorsus mercede accepta, eo tamen pacto seu animi proposito distribuat ut oblatae reliquiae tamquam authenticae recipiantur. Putamus excommunicatione eum non plecti, qui uni aliive donet vel cedat falsas reliquias, quia iuxta obvium et genuinum sensum *distributio* non habetur. *Publicae venerationi*, non autem *privatae*, sive in ecclesia sive extra, puta si reliquiae deferantur in religiosis processionibus; *exponit*, non materialiter, uti palam est, sed *formaliter*.

III.

« *Qui violentas manus in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae* » (can. 2343, § 4).

130. — Qui violentas manus etc. — Recole quae hac de re alibi exposuimus (nn. 59, 94).

In personam aliorum clericorum (5). — *Aliorum;* omnes clerici intelliguntur, praeter S. R. E. Cardinales, Legatos Sedis Apostolicae, Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos. *Clerici* vocantur, « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt » (can. 108, § 1). Iure antiquo putabant quidam auctores Seminaristas frui privilegio *canonis*, quamvis nondum primam tonsuram recepissent (2). Haec sententia, quae communiter et merito iampridem reiiciebatur, utpote quovis fundamento iuridico destituta (3), iure novo caret omnino intrinseca probabilitate, ita ut tuto defendi nullo pacto queat.

Huic privilegio (sicut et ceteris, de quibus vide cc. 109-122) clerici renuntiare nequeunt; sed ipso facto idem amittunt, si ad statum laicalem (4) reducantur aut privatione perpetua iuris defe-

(1) Cfr. can. 119.

(2) S. Alph., VII, n. 271; Dumas, *Compendium Theol. Mor. Gury*, Lugduni-Parisiis, 1899, n. 897, quaest. 4.

(3) Cfr. Génicot, II, n. 594; Noldin, *l. c.* n. 69; Gennari, *Questioni canoniche*, Roma, 1908, n. 162; ephem. *Civiltà Cattolica*, 1917, vol. I, fasc. 1602, p. 716.

(4) De reductione clericorum ad statum laicalem vide cc. 211-214.

rendi habitum ecclesiasticum plectantur, ad normam can. 2304; recuperant vero, si haec poena remittatur aut ipsi rursus inter clericos admittantur (1).

131. — Vel utriusque sexus religiosorum. — Comprehenduntur: 1° viri religiosi, clerici laicive, sive votorum *sollemnium* sive *simplicium*, tam *perpetuorum* quam *temporariorum*, cuiuscumque Ordinis vel Congregationis, sive haec sit *clericalis* sive *laicalis*, sive *exempta* sive non, seu *iuris pontificii* seu iuris *dioecesani* (2); 2° mulieres religiosae, quae vota *sollemnia* aut *simplicia*, *perpetua* vel *temporaria*, nuncupaverint, cuiuslibet, ut supra, Ordinis vel Congregationis, sive iuris pontificii sive iuris dioecesani.

Mulieres et, si agatur de religione virorum, conversi (3), dum postulatum peragunt, hoc privilegio non gaudent; e contra novitii et novitiae eodem certe fruuntur ex praescripto cc. 567, § 1, 611.

Auctores vix non omnes docent, ad ius vetus quod attinet, privilegio canonis gaudere etiam tertiarios S. Francisci et S. Dominici, modo habitum gestent et in communitate vivant; item mulieres viventes in conservatoriis, et eremitas subiectos alicui regulae vel superiori (4).

Iure, quo nunc regimur, omnes sodales, qui in societate quavis sive virorum sive mulierum, vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones, tribus consuetis votis publicis non obstricti, memorato privilegio gaudent (5). Exinde patet, eremitas non frui hoc privilegio; mulieres in conservatoriis viventes, eodem gaudere, si in communi degant sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones; secus, non; tertiarios item privilegio frui, iisdem positis conditionibus, et non aliter.

Religiosus in minoribus ordinibus constitutus, qui vota per-

(1) Can. 123. Depositio non secumfert privationem privilegiorum clericalium (can. 2303, § 1); at si clericus depositus non det emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergat monitusque non resipiscat, Ordinarius potest eum perpetuo privare iure deferendi habitum ecclesiasticum; tunc clericus omnia privilegia amittit (can. 2304). Degradatio in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem (can. 2305, § 1); proinde degradatus ipso iure clericalibus privilegiis privatur.

(2) Cfr. can. 488, nn. 1-4.

(3) Cfr. can. 539, § 1.

(4) S. Alph., VII, n. 271; Suarez, disp. XXII, sect. 1, n. 20; Schmalz., lib. V, tit. 39, n. 219; Bucceroni, *l. c.* n. 41; Ball.-Palm., *op. cit.* tract. IX, cap. II, n. 356; Lehmkuhl, II, n. 1217: Noldin, *l. c.*; Dumas, *l. c.*; Pighi, III, n. 499, 2.

(5) Can. 680.

petua vel temporaria nuncupaverit, si dimittatur, eo ipso reducitur ad statum laicalem (1); ideoque privilegio, de quo agimus, privatus manet. Privilegium amittunt, rite dimissi, uti palam est, etiam sodales laici et mulieres, salvo praescripto can. 672, § 1 quoad eos qui, licet dimissi, tamen votis perpetuis in religione nuncupatis non sunt soluti, quique ad claustra redire tenentur. Idipsum a fortiori valet de novitio ac de professo qui, exacto professionis temporariae tempore ad normam can. 574, § 1, sponte ad saeculum redeat.

Impuberes rationis compotes dolique capaces, mandantes, consulentes et ratihabentes percussionem clericorum vel utriusque sexus religiosorum, qua de re olim disputabant auctores (2), huic censurae non subsunt.

IV.

« *Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam* » (can. 2350, § 1).

132. — Procurantes intelliguntur, qui directe intendunt abortum et studiose seu de industria eum causare conantur, opere *de se* efficaci ad id praestito. Itaque huic censurae ii tantum subiacent, qui abortum directe voluntarium causant, non autem qui actionem, etiam graviter malam, ponunt ex qua per accidens sequatur, licet abortus fuerit praevisus, ex. gr. si quis mulierem praegnantem ex odio vel ira percutiat (3). Causa potest esse sive physica, ex. gr. venenum vel ictus, sive moralis, ex. gr. terror incussus; at omnino requiritur ut *de se* vere efficax sit (4).

Abortum; cuius nomine venit eiectio foetus immaturi ex utero matris. Porro foetus censetur immaturus ante septimum, saltem

(1) Can. 648 et 669; cfr. etiam cc. 646, 670, 671.

(2) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 55, 64; S. Alph., *l. c.* n. 266 s.; Ball.-Palm., *l. c.* n. 448; Bucceroni, *l. c.* n. 41; D'Annibale, *l. c.* n. 111; Pennacchi, *l. c.* p. 480 ss.

(3) « Non videntur comprehendi (sub censura) causantes abortum directe ita tamen, ut procuratio abortus non intendatur nisi ut finis intermedius ad bonum ultimum finem, ideo non putamus medicos percelli *censura* qui abortum quomodocumque procurant. Diximus: eiusmodi medicos immunes a *censura* censemus, minime vero a peccato iuxta iteratas S. C. Inq. resolutiones... ». Ita Santi, in l. V, t. X, n. 8, cuius doctrinam opinamur iuris fundamento non destitui.

(4) Cfr. Bonacina, disp. II, quaest. II, punct. x; D'Annibale, *l. c.* n. 161; Ball.-Palm., *l. c.* n. 474; Bucceroni, *l. c.* n. 81; Pennacchi, *op. cit.* II, p. 36; Génicot, *l. c.* n. 608; Ciolli, *l. c.* n. 154; Noldin, *l. c.* n. 93; Lehmkuhl, *l. c.* 1247.

inceptum, gestationis mensem (1). Quare huc non spectant acceleratio partus, seu eiectio foetus iam maturi, craniotomia, embriotomia et aliae id genus operationes occisivae foetus. Ex dictis sequitur non haberi abortum neque ideo incurri in excommunicationem, 1° si eiiciatur foetus mortuus; 2° si certo haud constet, num id, quod expellitur, sit foetus aut mola i. e. caro informis (1); 3° si semen statim post copulam expellitur, quia conceptio nondum certa est.

Iure antiquo sola eiectio foetus *animati* censurae subiiciebatur (3); at iam in Const. « *Apostolicae Sedis* » distinctio inter foetum animatum et inanimatum, utpote a doctrina recentiorum physicorum aliena, merito omissa fuerat.

Matre non excepta; hisce verbis iure legislator dirimere voluit controversiam quae olim erat apud auctores, quorum alii matrem subesse excommunicationi affirmabant (4), alii negabant (5), quam postremam sententiam probabilem habebant Pennacchi (6), Noldin (7), Marc (8), Scavini (9).

Verum si mater ex gravi metu sibi abortum procuret, quamvis a gravissimo peccato haud excusetur, censuram non contrahit (10).

Effectu secuto. — Ex hoc capite duo requiruntur ad excommunicationem incurrendam, scil. 1° ut abortus reipsa secutus sit; 2° ut certo constet eum ex medio adhibito et non potius ex alia causa secutum esse.

Si quis, post causam abortus positam et ante effectum secutum, vere doleat, subiacetne censurae? Controvertitur. Plures cum sancto Alphonso (11) negant (12). Alii ex adverso affirmant (13). Speculative

(1) Cfr. Capellmann, *Medicina pastoralis*, Aquisgrani, MCMI, p. 10; Antonelli, *Medicina pastoralis*, Romae, 1905, I, n. 300.

(2) Antonelli, *op. cit.* II, n. 32 ss.

(3) Cfr. Const. Gregorii XIV « *Sedes Apostolica* », 31 maii 1591.

(4) D'Annibale, *l. c.* 16; Bucceroni, *l. c.*; Génicot, *l. c.*; Ferreres, II, n. 976, II; Ciolli, *l. c.* n. 156; Santi, V, tit. X, n. 8; Wernz, *l. c.* n. 370, III.

(5) Ball.-Palm., *l. c.* et ad Gury, II, n. 788 nota 56; Lehmkuhl, *l. c.*

(6) *Loc. cit.* p. 42.

(7) *Loc. cit.* 2.

(8) *Op. cit.* II, n. 1349.

(9) *Op. cit.* I, n. 902.

(10) Cfr. Génicot, *l. c.*; Pighi, *l. c.* n. 518, 2; Wernz, *l. c.*

(11) *Loc. cit.* n. 40.

(12) D'Annibale, *Summula*, I, n. 335; *Comm. in Const.* « *Apost. Sedis* », n. 7, 17 et 14, 68; Génicot, *l. c.* n. 572, VII; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1111, qui docet *id practice teneri posse* « cum S. Alph., Mazzotta, Hurtado, Oviedo, Castropal., Krimer etc. ».

(13) Ball.-Palm., *l. c.* 142. et ad Gury, II, n. 746, 6; Noldin, *l. c.* n. 21, 93, 3.

loquendo, sententia affirmativa verior nobis videtur; at, cum versemur in odiosis, in praxi aliam sententiam tuto retineri posse arbitramur.

133. — Mandantes, consulentes aliique cooperatores plectunturne hac excommunicatione?

Quoad *mandantes*, sententia communior affirmat (1). Quidam negant (2). Attento iure novo, negativa sententia videtur procul dubio praeferenda, quia legislator ubi voluit mandantes comprehendere, expresse significavit per verba « per se vel per alios » (3).

Quoad *consulentes* et alios *cooperatores* secundarios ex. gr. medicamenta vendentes, certa sententia est, censurae eos non subiici.

De iis vero qui, mandata alterius exsequentes, ex. gr. medici, obstetrices etc., faciunt ut mulier foetum abigat, disputatur. Plures negant censura teneri (4), quia, aiunt, « procurantes accipere debemus, non eos qui pro alio, sed eos qui sive per se, sive per alium curant, faciunt ut mulier eiiciat ». Alii affirmant (5). Hanc sententiam ex iure nunc vigente, cum *mandantes* non comprehendantur, probabiliorem imo vix non certam putamus.

V.

« *Religiosus, apostata a religione, ipso iure incurrit in excommunicationem proprio Superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam* » (can. 2385).

134. — Religiosus (6), sive votorum sollemnium sive simplicium. Non comprehenduntur sodales in communi viventes sine votis,

(1) D'Annibale, *l. c.* n. 161; Ball.-Palm., *l. c.* n. 474; Ferreres, *l. c.;* Noldin, *l. c.* n. 93, 2; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1247; Ciolli, *l. c.* n. 155; Wernz, *l. c.*

(2) Bucceroni, *l. c.*; Santi, *l. c.*

(3) Cfr. cc. 2345, 2346, 2363, 2405.

(4) D'Annibale, *l. c.;* Pennacchi, *l. c.;* Génicot, *l. c.* n. 608; Ferreres, *l. c.;* Lehmkuhl, *l. c.*

(5) Dumas, *l. c.* n. 1019; Marc, *l. c.* n. 1349 etc.

(6) Attento sermonis contextu quis haud sine fundamento dubitare potest, num huic censurae subsint moniales et sorores. Agitur enim de excommunicatione *reservata proprio Superiori maiori*, et sermo est de religione *laicali*, quae ex communi loquendi usu opponitur *clericali* quaeque, uti palam est, viris constat, non autem mulieribus.

quia nomine religiosorum proprie non designantur (1); imo nec religiosi qui vota simplicia temporaria tantum emittunt.

Apostata a religione dicitur « professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat. Malitiosus animus... iure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit » (can. 644, § 1 et 2) - (2).

Proprio Superiori maiori. — Quinam sit, alibi diximus (cfr. n. 109).

Si religio sit laicalis aut non exempta. — Religio *laicalis* opponitur *clericali*. Dicitur *clericalis* religio « cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est *laicalis* » (can. 488, n. 4°). Dicitur *exempta* « religio sive votorum sollemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta » (can. cit. n. 2°); secus, *non exempta* vocatur.

Ordinario loci in quo commoratur, seu *loci* ubi apostata, post egressum e domo religiosa, *actu* commoratur, etsi domicilium vel quasi-domicilium ibidem non habeat (3).

Itaque apostata incurrit in excommunicationem reservatam proprio Superiori maiori, si agitur de religione clericali exempta; e contra, si agitur de religione laicali vel clericali non exempta, contrahit excommunicationem reservatam Ordinario loci.

VI.

« *Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra* — scil. et professos ipsos et eos qui cum iisdem matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumunt — *excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata* » (can. 2388, § 2).

(1) Can. 673, § 1.

(2) Ipso facto habendi sunt tanquam legitime dimissi religiosi: 1° Publici apostatae a fide catholica; 2° Religiosus, qui fugam arripuerit cum muliere; aut religiosa quae cum viro; 3° Attentantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile. In his casibus sufficit ut Superior maior cum suo Capitulo vel Consilio ad normam constitutionum emittat declarationem facti: curet autem probationes facti collectas in domus regestis asservare. Can. 646.

(3) Professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus amittit ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim. Can. 585.

135. — Professi votorum simplicium perpetuorum; non ideo sodales, qui vivendi rationem religiosorum imitantur in communi viventes sub regimine Superiorum, consuetis votis publicis non obstricti; neque professi votorum simplicium temporariorum.

Ordinario, i. e. vel *proprio Superiori maiori*, si agitur de religione clericali exempta; vel *Ordinario loci*, si agitur de religione clericali non exempta, aut de laicali, sive iuris pontificii sive iuris dioecesani.

Ad explicationem quod attinet aliorum verborum huius canonis, vide quae suo loco tradidimus (n. 121).

Articulus V.

De excommunicationibus nemini reservatis.

I.

« Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam » (can. 2318, § 2).

136. — Auctores, nempe qui adnotationes vel commentarios Librorum sacrorum conscripserunt, quicumque ii sint; intellige auctores *formales*, non vero, uti aiunt, *materiales*, puta scribas seu amanuenses etc.

Editores, non vero typographi ceterique cooperatores, h. e. ii dumtaxat qui suis expensis suoque nomine curant ut libri sacrarum Scripturarum vel adnotationes aut commentarii typis imprimantur; etenim hi tantum nomine *editorum* proprie veniunt (1).

Sine debita licentia; nam compertissimum est libros sacrarum Scripturarum vel eorumdem adnotationes et commentaria edi non posse, ne a laicis quidem, nisi censura ecclesiastica praecesserit (2). Licentiam vero edendi praefatos libros dare potest vel loci Ordi-

(1) Verba « *auctores* » et « *editores* », sapienti equidem consilio a legislatore adhibita, dirimunt controversiam iure antiquo inter doctores diu agitatam. Cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 38, nota 26; Pennacchi, *op. cit.* II, p. 230 s.; *Comm. in Const.* « *Officiorum ac munerum* », p. 254; Vermeersch, *l. c.* p. 108 ss.; Bucceroni, *l. c.* n. 90; Noldin, *l. c.* n. 104.

(2) Can. 1385, § 1.

narius proprius auctoris, vel Ordinarius loci in quo libri publici iuris fiant, vel Ordinarius loci in quo imprimantur, ita tamen ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, ea ab alio Ordinario peti nequeat, nisi ipse certior fiat de denegata ab alio licentia. Religiosi autem debent antea consequi licentiam quoque sui Superioris maioris (1).

Sacrarum Scripturarum libros; sive agatur de textu originali, sive de versionibus; sive hae sint antiquae sive recentes, in lingua non vulgari aut etiam in lingua vernacula confectae.

Earum adnotationes aut commentarios, licet breves sint, et ex Sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus desumpti.

Imprimi curant. — Haec verba referuntur non solum ad editores, verum etiam ad auctores, qui idcirco non semper contrahunt excommunicationem, sed *eo tantum casu quo impressio fiat ipsorum cura.*

Censura sive ab auctoribus sive ab editoribus haud incurritur, nisi, uti opinamur, opere publici iuris facto.

II.

« *Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can.* 1240, § 1, *contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam* » (can. 2339).

137. — Qui ausi fuerint; ergo excusat a censura incurrenda ignorantia etiam crassa vel supina, et metus quilibet.

Mandare seu cogere, quod proprie ad publicam potestatem pertinet. Mandare idem est ac praecipere, iubere, imperare; *cogere*, vi aut metu compellere. Itaque non comprehenduntur *sepelientes*, nec simpliciter *admittentes* ad sepulturam ecclesiasticam, neque alii *operam praestantes* (2).

Ecclesiasticae sepulturae. — Quamplures auctores (3) docent censuram respicere solam inhumationem, ita ut contrahatur, e-

(1) Can. cit. §§ 2, 3.

(2) Cfr. Bucceroni, *l. c.* n. 84; Génicot, II, n. 609; Marc, I, n. 1351; Noldin, *l. c.* n. 97; Ciolli, *l. c.* n. 161.

(3) D'Annibale, *l. c.* n. 168; Ball.-Palm., VII, n. 476; Bucceroni, *l. c.*; Génicot, *l. c.*; Lehmkuhl, II, n. 1279; Marc, *l. c.*

tiamsi nullo ritu sacro adhibito defunctus in loco sacro sepeliatur. Haec sententia, quae iure antiquo (1) probabilior certe erat, sustineri, ni fallimur, amplius non potest, attento praescripto can. 1204. Quocirca censemus excommunicationem haud contrahi, si defunctus in loco sacro deponatur, seclusa translatione cadaveris ad ecclesiam quovisque omisso religionis ritu.

Infideles, apostatas a fide, vel haereticos etc. — Nota agi 1° de infidelibus et apostatis a christiana fide *notoriis;* 2° de haereticis et schismaticis *notorie addictis sectae haereticae vel schismaticae;* 3° de excommunicatis vel interdictis *post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;* 4° de iis tantum apostatis, haereticis etc. *qui nulla poenitentiae signa ante mortem dederint.* Id manifesto liquet ex cit. can. 1240, § 1.

Excommunicatio haec non incurritur nisi effectu secuto.

III.

« *Quod si beneplacitum apostolicum, in memoratis canonibus praescriptum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet praeterea excommunicatio latae sententiae nemini reservata* » (can. 2347, 3°).

138. — Beneplacitum apostolicum etc. — Eo opus est (2), si agatur de alienandis 1° rebus pretiosis; 2° vel aliis bonis quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum (3). Nihil interest utrum res sint immobiles aut mobiles, dummodo servando servari queant; secus enim, quicumque sit earumdem valor, alienari possunt sine venia apostolica, ut colligitur ex can. 1530, § 1. Dicuntur pretiosae res, « quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa » (4). Insignes reliquiae, quamvis valide alienari nequeant sine Apostolicae Sedis permissu (5),

(1) Cfr. *Clem.* lib. III, tit. 7, c. 1 ; *Decretal.* lib. V, tit. 2, c. 2 in 6°.

(2) In casu maximae et urgentis necessitatis, cum scilicet apostolicum beneplacitum exquiri nequit sine gravi damno Ecclesiae, bona ecclesiastica alienari possunt sine consensu *expresso* Sedis Apostolicae. Sufficit consensus *praesumptus*, qui merito adesse censetur in praefatis circumstantiis.

(3) Cfr. cc. 534, § 1, 1532, § 1.

(4) Can. 1497, § 2.

(5) Can. 1281, § 1. Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae sunt « corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus, aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva » (can. cit. § 2).

tamen, cum pretio aestimabiles haud sint easque vendere nefas sit, (can. 1289, § 1) huc non pertinent; ideo excommunicatio non incurritur, si forte sine apostolico beneplacito alienentur. Aliter dicendum de imaginibus pretiosis, idest vetustate, arte aut cultu praestantibus (can. 1280), cum pretio reipsa aestimabiles sint.

Quaenam sint res seu bona *ecclesiastica*, de quibus nunc agimus, dictum est n. 116.

Venia pontificia requiritur non solum in alienatione proprie dicta, sed etiam in quolibet contractu quo conditio Ecclesiae peior fieri possit (can. 1533), uti est, ex. gr., donatio, permutatio, pignoratio, hypotheca, servitutis impositio, emphyteusis, locatio, compromissum, transactio etc.

Pro locatione bonorum ecclesiasticorum, ad normam can. 1541, § 2, n. 1°, requiritur beneplacitum apostolicum si valor locationis excedat triginta millia libellarum seu francorum et locatio fiat ultra novennium. Si utraque vel alterutra conditio absit, venia apostolica opus non est.

Tituli ad latorem, quos vocant, commutari possunt in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis aliorumque quorum intersit (1).

Si quaeratur utrum *pecuniae* quantitas ceu res pretiosa haberi debeat vel non, ita distinguendum est: si agitur de pecunia *ad usum quotidianum* destinata, et generatim de pecunia *in parva quantitate*, non comprehenditur sub censu rerum pretiosarum; contra, si pecunia numerata sit *in magna quantitate* ac proinde considerari possit ceu thesauri pars notabilis designata pro rebus immobilibus comparandis, dubitandum non est quin adnumeretur inter res mobiles pretiosas (2).

139. — Iure antiquo quaerebant auctores: I. num excommunicationi subessent Episcopi seu Praelati (3); II. num alienationes factae ab una Ecclesia ad aliam, vel ab Ecclesia ad loca pia, sub censuram caderent (4); III. num opus esset rei traditione ad incurrendam censuram (5); IV. num excommunicatio incurreretur, si alie-

(1) Can. 1539, § 2. S. C. C. die 17 ian. 1906 declaraverat census publicos (*titoli al portatore*), esse obiectum vetitae alienationis. Cfr. Génicot, *l. c.* n. 610; Vermeersch, *De Instit. relig.*, n. 436, 2; Gennari, *Quest. can.* Roma, 1908, n. 478.

(2) V. Santi, lib. III, tit. 13, n. 5.

(3) D'Annibale, *l. c.* n. 77; Pennacchi, II, p. 142; Génicot, *l. c.* n. 610; Noldin, *l. c.* 102; Wernz, III, n. 170.

(4) D'Annibale, *l. c.*; Ball.-Palm., *l. c.* n. 478; Bucceroni, *l. c.* n. 86; Pighi, *l. c.* n. 524, 3.

(5) D'Annibale, *l. c.* nota 51; Pennacchi, II, p. 134; Génicot, *l. c.*

natio fieret ex iusta causa et sine Ecclesiae detrimento (1); V. num alienatio facta sine beneplacito apostolico valeret, necne, in foro conscientiae (2). Quidnam iure novo adfirmandum videtur?

Ad I. Episcopi seu Praelati certe subsunt excommunicationi, tum quia ratio petita ex Const. « *Ambitiosae* », qua patroni sententiae negantis nitebantur, urgeri amplius non potest; tum quia canon cit. Ordinarios non excipit, imo, saltem implicite, comprehendit (n. 2°).

Ad II. Alienationes factae inter ecclesias vel loca pia obnoxiae sunt censurae. Etenim ratio, item ex Const. « *Ambitiosae* » desumpta, quae cavere intendebat *divini cultus detrimentum*, non valet, nam *Codici iuris canonici* nunc standum omnino est, in quo, *nulla facta distinctione* et *nulla clausula adiecta*, memoratae res simpliciter et absolute prohibentur sine beneplacito apostolico alienari sub excommunicationis poena.

Ad III. Ad normam can. 1529, videndum est num, iuxta legem civilem, contractus, ex. gr., donatio vel emptio-venditio, solo partium consensu perficiatur, aut rei traditione; si primum, censura iam ante traditionem urget; si secundum, nonnisi post rei factam traditionem (3).

Ad IV. Excommunicatio, attento praescripto can. 1530, § 1, n. 2°, incurritur, uti opinamur, quamvis alienatio fiat ex iusta causa et sine Ecclesiae aut operis pii detrimento.

Ad V. Alienatio facta sine apostolico beneplacito invalida est etiam in foro conscientiae, ita ut bona illegitime acquisita sint restituenda et damna forte illata reparanda (4).

(1) Ball.-Palm., *l. c.;* Bucceroni, *l. c.;* Pennacchi, II, p. 128 s.

(2) D'Annibale, *l. c.;* Ball.-Palm., *l. c.;* Génicot, *l. c.*

(3) Emptio-venditio, in iure italico (art. 1448), Gallico (art. 1583) et Hispanico (art. 1452, 1468) solo partium consensu perficitur; iis tantum exceptis rebus, quae praegustari solent, ex. gr. vinum, aut quae ad probationem traduntur, ex. gr. equus; venditio harum rerum non prius perficitur, quam res gustata vel probata fuerit. Contra, in iure Austriaco (art. 1053) et Germanico (art. 446), dominium rei per solam traditionem transfertur in emptorem; at si de fundo agatur, eiusdem relatio in librum fundorum requiritur in iure Germanico ad transferendum dominium.

Donatio, in iure Italico (art. 1062), Gallico (art. 938) et Hispan. (art. 623), perficitur ante rei traditionem. Attamen, si bona mobilia, posthabita donatione, alteri donentur aut vendantur et tradantur, hic, modo sit in bona fide potest ea retinere; donator autem infidelis tenetur de damnis erga donatarium. Ex iure Austriaco (art. 425) et Germanico (art. 929), translatio dominii per donationem perficitur sola rei traditione, quam si donator facere recuset, donatario actio in donatorem conceditur.

(4) Cfr. cc. 1530, §§ 1, 3, 2347.

Scienter praetermissum; ideo excusat ignorantia, licet crassa vel supina. Necesse est, quis sciat 1° agi de bonis ecclesiasticis; 2° requiri licentiam pontificiam, et quidem 3° sub poena censurae. Haec verba « *scienter praetermissum* » referuntur sive ad *dantes* sive ad *recipientes* sive ad *consensum praestantes*, de quibus statim.

Omnes quovis modo reos sive dando etc. — *Omnes*, seu clerici seu laici, mares feminaeve, non solum administratores, uti iure antiquo (1), sed quicumque, vel dando vel recipiendo aut consensum praebendo alienationi cooperantur. At non comprehenduntur destruentes, diripientes, furantes. *Quovis modo*, scil. uno aliove ex tribus memoratis, non aliis; *reos*, quatenus agant dolo malo, i. e. ex gravi culpa; *dando*, nempe excommunicatione plectuntur *dantes* quavis alienationis forma, *omnes* quidem et *soli*, quibus competit administratio vel cura aut custodia rerum ecclesiasticarum; *recipiendo*, scil. qui bona ecclesiastica emunt, locant etc., nedum priores, verum etiam, ut liquet ex verbis ac fine legis, posteriores seu qui bona illegitime alienata ab aliis recipiunt; *consensum praebendo*, nota id referri sive ad *dantes* sive ad *recipientes;* comprehenduntur vero ii *omnes* et *soli*, quorum consensu opus est pro contractu ineundo, puta parochi, rectoris, praelati etc.

Manet praeterea excommunicatio etc. — Vox *praeterea* manifesto innuit aliis quoque poenis, praeterquam excommunicatione, eum plecti, qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit aut in iis alienandis consensum praebere. Quae profecto poenae indicantur in hoc ipsomet canone sub n. 1° et 2°.

IV.

« *Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam* » (can. 2352).

140. — Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, i. e. quicumque ii sint, cuiuslibet dignitatis sive ecclesiasticae sive laicalis, etiam Episcopi, Praelati, Superiores Ordinum vel Congregationum; non tamen Cardinales, cum *expresse* haud nominentur.

Qui quoquo modo cogant, directe vel indirecte, vi, metu,

(1) Bucceroni, *l. c.;* Noldin, *l. c.* n. 102.

fraude, etiam precibus importunis, dummodo hae moralem coactionem, ob specialia personarum adiuncta, inducant.

Sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam; excommunicatio non incurritur nisi *effectu secuto;* at necesse non est ut vir Ordines receperit, aut vir mulierve vota nuncupaverit, nam ubi primum quis ex aliorum coactione clericalem statum sit amplexus aut in religionem ingressus, censura contrahitur. Dicitur *ad religionem ingrediendam;* ideo excommunicationi haud subiacet qui virum aut mulierem cogat ad ingrediendam societatem, in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes sub regimine Superiorum, sed votis publicis non obstringuntur, uti sunt v. gr. presbyteri societatis S. Francisci Salesii, puellae seu filiae a Charitate, magistrae piae etc.

Vel ad emittendam religiosam professionem etc. — Alia personarum classis exprimitur; scil. ii quoque censura plectuntur, qui, etsi non coëgerint virum vel mulierem ad religionem ingrediendam, tamen, novitiatu expleto, cogunt vi aut metu ad professionem emittendam, sive sollemnem sive simplicem, sive perpetuam, sive temporariam. Excommunicatio non incurritur nisi *post emissam professionem.*

V.

« *Fidelis vero, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can.* 904, *incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit* » (can. 2368, § 2).

141. — Fidelis, quicumque sit, mas vel femina; impubes sollicitatus tenetur quidem denuntiare, non tamen sub poena excommunicationis.

Qui scienter omiserit; excusat ergo ignorantia sive legis sive solius quoque poenae, etsi crassa aut supina.

A quo sollicitatus fuerit. — De infando sollicitationis crimine vide quae exposuimus sub n. 102. Quamvis etiam non sollicitati teneantur denuntiare confessarium sollicitantem, si delictum certo cognoscant, nihilominus huic censurae ipsi haud subiacent, sed tantum *sollicitati* non denuntiantes.

Intra mensem, qui est computandus ex tempore, quo quis cognovit 1° obligationem denuntiandi, et 2° excommunicationem

adnexam huic obligationi, ac 3° tempus adimplendae obligationis (1); nisi tamen legitime excusetur; cessante vero impedimento obligatio urget (2).

142. — Denuntiare. — Denuntiatio facienda est vel *Ordinario loci* vel S. *Congregationi S. Officii* (3), quamvis forte sodalis religiosus sit confessarius sollicitans, nam statutam iamdiu disciplinam can. 501, § 2, hisce verbis confirmat : « Superioribus quibuslibet (religiosis) districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant ». Nomine *Ordinarii loci* venit Ordinarius loci, ubi persona sollicitata *hic et nunc* commoratur, non autem Ordinarius proprius vel sacerdotis sollicitantis vel poenitentis sollicitati, neque Ordinarius illius dioecesis, in qua crimen fuit commissum.

Obligatio denuntiandi est onus *personale*, i. e. ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Non sufficit autem denuntiatio *per litteras privatas* facta, sed opus est, *in forma iudiciali* fiat; id vero non prohibet — imo est consueta agendi praxis — quominus *iudiciali* praemittatur *privata* denuntiatio, sive adeundo personaliter loci Ordinarium, sive litteras secretas mittendo ad eum vel ad S. C. S. O., in quibus poenitens sollicitatus omnes circumstantias sollicitationis caute tamen et prudenter exponat propriumque nomen et locum habitationis clare ac distincte significet.

(1) Cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 184; *Summula* etc., III, n. 238.

(2) Confessarius tenetur *sub gravi* poenitentem sollicitatum monere de obligatione denuntiandi, et quidem licet poenitens in bona fide sit et praevideatur obligationi suae non satisfacturus, excepto mortis casu, ne in damnationis periculum poenitens coniiciatur. S. Alph., VI, n. 694; Ball.-Palm., V, n. 1152; Bucceroni, *Comment.* IV, n. 33; Instruct. S. O. 20 Febr. 1867, nn. 3, 5. Nec tenetur, si poenitens, in simplicitate constitutus, sollicitationem non intellexerit; aliter dicendum, si *in actu* non intellexerit, sed *postea* rem apprehenderit. Tunc cessat ratio *scandali* quod, re non intellecta, pateretur ex audita obligatione denuntiandi. S. U. I. 11 maii 1707. Quidam theologi putant *licere* confessario omittere denuntiationem « quando ex crimine commisso damnum commune iam non imminet, ut si confessarius nullas amplius confessiones audiat, et poenitens non obtemperaturus praevideatur ». Noldin, III, n. 393, 1, b; cfr. Ball.-Palm., *l. c.;* Berardi, *De sollicitatione*, n. 213 ss., 319 s. Hanc sententiam *vere* probabilem censemus, dummodo 1° certo constet nullam animarum perniciem sequi ex omissa denuntiatione, quod colligi potest ex mature perpensis circumstantiis, puta, ut ait Ball.-Palm. (*l. c.*), si sollicitans non amplius audiat confessiones quia surdus omnino evasit; 2° poenitens neque *hic et nunc*, neque *in posterum* obtemperaturus praevideatur, ob specialia adiuncta *perpetuo* per se duratura.

(3) Can. 904; cfr. p. 96 s.

Urget obligatio denuntiandi, etiamsi poenitens consenserit (1); quin tamen suum consensum pandere teneatur; nec non etiamsi sacerdos propter alterius sollicitationem fuerit in iudicium vocatus et punitus (2); item licet denuntiatio nequeat iuridice probari, vel a multo tempore sollicitatio contigerit (3).

Non urget certe si confessarius diem supremum iam obierit (4). Controvertitur (putamus, haud sine fundamento boni iuris) num sit denuntiandus confessarius, qui non sollicitaverit, sed alterius sollicitationi mere consenserit (5), (tunc enim confessarius non est sollicitans, sed *sollicitatus;* porro lex loquitur expresse de confessario *sollicitante*) et, a fortiori, qui gravi metu inductus sollicitationi praebuerit consensum (6); qui sit omnino emendatus (7). Cessat obligatio si dubia *facto* vel *iure* sit sollicitatio (8).

Excusat a denuntiatione *impossibilitas* eam faciendi, puta si persona sollicitata neque personaliter adire possit loci Ordinarium, neque epistolam ad eum vel ad S. C. S. Officii ob litterarum imperitiam aliamve causam mittere queat; item timor gravis damni in bonis vitae aut famae aut fortunae, tam sibi quam proximis sibi consanguineis seu affinibus, ex denuntiatione imminentis (9). At si publicum scandalum vel damnum commune forte inducat sollicitatio, incommodum *privatum* nequaquam deobligat. Non excusat timor incurrendi indignationem sollicitantis, nec verecundia, quam poenitens sollicitatus subire debet in denuntiatione facienda (10).

(1) Const. Benedicti XIV « *Sacramentum poenitentiae* » 1 iun. 1741.

(2) S. U. I. 26 iul. 1628; 1 febr. 1661 ad 13; 28 febr. 1867.

(3) Const. cit. Bened. XIV.

(4) S. U. I. 6 mart. 1839; S. Poenit. 24 april. 1884.

(5) S. Alph., VI, n. 681; Ball.-Palm., V, n. 1113 ss.; Bucceroni, *l. c.* n. 29.

(6) D'Annibale, *Comm. in Const.* « *Apost. Sedis* », n. 180.

(7) S. Alph., *l. c.* n. 686; Ball.-Palm., *l. c.* n. 1131 s.; D'Annibale, *Summula* etc., III, 237, nota 28; Bucceroni, *l. c.* n. 43.

(8) « Porro *facto* dubia videtur sollicitatio cum non satis constat, an sacerdos revera sollicitaverit; idest cum obscura sunt, vel ambigua, et verba (signa, nutus), et intentio... *Iure* autem dubia intelligitur sollicitatio, quoties non satis constat, aut convenit, num sacerdos sollicitaverit quasi confessarius; ut puta si non appareat utrum sollicitatio facta fuerit *immediate ante* confessionem; vel an *immediate post;* vel utrum *occasione*, utrum *praetextu* confessionis. Ceterum dubia huiusmodi in aestimatione, non poenitentis, sed alterius confessarii esse debent ». D'Annibale, *l. c.* n. 19.

(9) Ball.-Palm., *l. c.* n. 1152; D'Annibale, *l. c.; Comm. cit.* n. 182; Bucceroni, *l. c.* n. 38; Noldin, III, n. 394.

(10) Confessarius teneturne ipsemet denuntiationem excipere vel deferre, si persona sollicitata id agere nequeat vel detrectet? S. Alph. (*l. c.* n. 699), haec ad rem habet: « Advertunt Viva... Iamb... et Ronc... non expedire quod confessarius assumat in se hoc onus deferendi denuntiationem vice poenitentis,

Contra praescriptum can. 904, quod ita se habet: « Ad normam Constitutionum Apostolicarum et nominatim Const. Benedicti XIV « *Sacramentum Poenitentiae* », 1 iun. 1741, debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere ».

143. — Non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit. — His verbis regula perspicue assignatur confessariis tenenda: poenitens sollicitatus nequit absolvi nisi *vel* iam denuntiaverit *vel* serio promiserit se denuntiaturum intra mensem aut cessante impedimento. Quidam dicunt promissionem in casu esse iuramento firmandam; at immerito id *districte praecipi* autumant, cum reipsa ecclesiastica lex nullibi iusiurandum hoc in casu emitti iubeat. Si poenitens promiserit se denuntiaturum, absolvi potest nedum *a peccatis* ante mensem elapsum, sed et *ab excommunicatione* post mensem. Id quod iure antiquo (1) mere probabile erat, iure nunc vigente certum est.

Si poenitens sine iusta causa renuat omnino denuntiationem facere, confessarius, ubi adhortationes et consilia incassum cesserint, eum non absolvat, sed alio tempore ad se redire mandet. Interim vel loci Ordinarium vel Sedem Apostolicam (S. Poenit. aut S. Congregationem S. Officii) adeat per epistolam aliove modo, et, omnibus expositis circumstantiis, reticito tamen poenitentis nomine, opportunum flagitet remedium. S. Sedes vel dispensat aliquando a denuntiatione facienda, vel concedit ut ope solius confessarii denuntiatio fiat; Ordinarius loci *per se* non potest dispensare a denuntiatione, tamen, ut indubitanter putamus contra quosdam auctores, attentis pluribus responsis S. C. S. O., permittere potest ut confessarius solus, seclusa quavis forma iuridica, denuntiationem excipiat. Ita generatim loquendo, quoties poenitens hac illave ratione impediatur, quominus denuntiandi obligationi personaliter satisfaciat (2).

vel eam excipere, quia sic non paucis detractationibus et periculis exponeretur. *Et tanto minus ad id tenetur* ». Verum si poenitens denuntiationem omnino renuit, *laudandus* erit confessarius si ei operam suam non *denegaverit*, et Ordinarium (vel S. Sedem, i. e. S. Poenit. aut S. C. S. Officii) consulat, reticito nomine poenitentis. Ita Instruct. S. O. 20 febr. 1867, n. 7.

(1) Avanzini, *Comm. in Const.* « *Apost. Sedis* », Romae, 1872, p. 114; D'Annibale, III, n. 238.

(2) Instruct. cit. 20 febr. 1867, n. 7.

Confessarius, antequam onus denuntiandi imponat poenitenti, sedulo examinet, num agatur de *vero sollicitationis crimine* ad normam Constitutionum Apostolicarum, num praeterea adsint omnes conditiones quae *certam* faciant *obligationem denuntiandi*. Animadvertunt sane auctores, non raro accidere, ut mulieres ex ignorantia vel ex odio, invidia aut alio pravo motivo (1), sacerdotes omnino innocentes calumnientur. Quovis in casu caveat confessarius ne sollicitantis nomen inquirat.

CAPUT III.

DE INTERDICTO

Articulus I.

De interdicti notione.

144. — Natura. — Interdictum est *censura ecclesiastica, qua prohibetur usus divinorum officiorum et aliquorum Sacramentorum et sepulturae ecclesiasticae, quatenus usus est et omnibus fidelibus communis* (2).

a) Dicitur *censura ecclesiastica*, ut distinguatur ab aliis poenis *vindicativis* ecclesiasticis atque etiam ab interdicto *per modum poenae vindicativae* inflicto, utpote est: 1° « interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris », nec non « 2° interdictum ab ingressu ecclesiae in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris » (can. 2291, n. 1° et 2°). Quocirca sedulo animadvertas velimus, interdictum ferri posse uti *censuram* ac uti *poenam vindicativam;* exinde enim plures iique distincti iuris effectus sequuntur.

Dicitur *b*) *qua prohibetur usus*, ut indicetur obiectum huius

(1) Génicot, II, n. 400, VIII, 5°; Noldin, III, n. 395, 1; Pighi, IV, n. 401 quaer. 5°.

(2) Suarez, disp. XXXII, sect. 1, n. 4; Ball.-Palm., VII, n. 547 ss.; D'Annibale, I, n. 367; Bucceroni, *Comm.* II, n. 123; Noldin, *l. c.* n. 114; Hilarius a Sexten, *l. c.* p. 80; Wernz, VI, n. 216. Can. 2268, § 1, ita definit: « Interdictum est censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur sacris quae in canonibus, qui sequuntur, enumerantur ». De variis significationibus vocis *interdicti* in iure romano et canonico cfr. Suarez, *l. c.* n. 2.

censurae, quod est usus tam activus quam passivus, non omnium, sed quarumdam rerum sacrarum.

Dicitur *c) divinorum officiorum;* quorum nomine ea intelliguntur, quae ex institutione Christi vel Ecclesiae a solis clericis fieri licet et quae ad divinum cultum ordinantur (1). Quae autem sint huiusmodi, aestimari debet, tum ex loco quo fiunt, velut recitatio Horarum in choro, tum « ex apparatu et vestimentis quorum usus solis licet ministris ordinatis; ut si cum superpelliceo et stola officium dicatur » (2). Non huc spectat proinde recitatio officii B. M. V. qualis fieri solet in Confraternitatibus, neque benedictio mensae, et eo minus adoratio crucis in Parasceve, quae fiat privatim i. e. absque orationibus ab Ecclesia institutis, nec interesse concioni, imo neque ipsa concio (3).

Dicitur *d) aliquorum sacramentorum*, quatenus non omnium, ut dicetur infra, sed quorumdam tantum prohibetur usus.

Dicitur *e) sepulturae ecclesiasticae*, cum limitationibus suo loco afferendis, cuius nomine intelligi debet sive translatio cadaveris ad ecclesiam, sive exsequiae super illud in eadem celebratae, sive illius depositio in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis (can. 1204).

Dicitur *f) quatenus usus est*, ut insinuetur discrimen interdicti ab *excommunicatione*, quae essentialiter differt, quatenus directe et immediate extra Ecclesiae communionem ponit fideles et ideo solum *consequenter* eos sacris prohibet; interdictum e contra *directe* et *immediate* vetat usum quarumdam rerum sacrarum, independenter omnino a communione cum fidelibus (4).

Dicitur *g) quatenus... omnibus fidelibus communis*, ut indicetur distinctio inter *suspensionem* et interdictum; etenim suspensio refertur dumtaxat ad prohibitionem usus *activi* rerum sacrarum, quatenus impedit earumdem *administrationem* seu *exercitium potestatis ecclesiasticae;* contra, interdictum privat usu sive *activo* sive *passivo* i. e. *communi cum ceteris fidelibus*, ita ut seu clericos seu laicos afficiat (5).

Ex dictis manifesto patet, multiplici ratione differre interdictum *ab excommunicatione*, quatenus scil. haec 1° nonnisi ut censura ferri potest, numquam vero ut poena vindicativa; 2° solas personas

(1) Can. 2256, n. 1.

(2) Suarez, disp. XXXIV, sect. 3, n. 7; Ball.-Palm., *l. c.* n. 558; D'Annibale, *l. c.* n. 371, nota 22.

(3) Schmalzgr., lib. V, tit. 39, n. 362.

(4) Suarez, *l. c.* n. 4; Wernz, *l. c.*

(5) Suarez, *l. c.*; D'Annibale, n. 371; Santi, *l. c.*; Lega, *l. c.* n. 145; Wernz, *l. c.*

physicas afficit, non autem personas morales et loca; 3° privat communione fidelium; 4° non directe et immediate, sed tantum consequenter ad vetitam communionem cum fidelibus, prohibet usum rerum sacrarum; 5° privat generatim omnibus bonis quae ab Ecclesiae voluntate seu administratione dependent; 6° eiusdem effectus sunt indivisibiles ac inseparabiles.

Item interdictum differt *a suspensione*, quae 1° non respicit loca; 2° non tenet laicos, sed clericos tantum; 3° prohibet ministerium seu administrationem rerum sacrarum, h. e. exercitium potestatis ecclesiasticae (1).

145. — Divisio. — Interdictum dividitur:

a) Ratione *subiecti*, in *locale*, *personale* et *mixtum* (2), prout immediate afficit personas vel locum aut sive personas sive locum.

b) Ratione *ambitus*, in *generale* et *particulare;* quae divisio tum locali tum personali interdicto est applicanda. Interdictum *locale generale* dicitur non solum illud, quod in regnum aut provinciam vel dioecesim fertur, sed etiam in civitatem seu oppidum quodcumque partialia loca complectens; *locale particulare* illud est, quod fertur tantum in quemdam locum *specialem*, puta in ecclesiam sive unam sive plures. Interdictum *generale personale* fertur directe in communitatem seu corpus quoddam personale, velut in capitulum, universitatem, monasterium etc.; *personale particulare* fertur directe in unam vel plures determinatas personas (3).

c) Ratione *obiecti*, in *totale* et *partiale*, secundum quod prohibet usum omnium rerum sacrarum, quae in definitione enumerantur, vel quarumdam solummodo (4).

d) Ratione *auctoris* seu *causae efficientis*, in interdictum *a iure* et interdictum *ab homine* latum, prout fertur per modum *legis*

(1) Non convenit inter auctores quonam tempore Ecclesia coeperit ferre interdictum. Vestigia *personalis* interdicti ex primis etiam saeculis occurrunt; interdictum *locale* saeculo decimo iam esse usu receptum ex historicis documentis indubitanter constat; at interdicta latae sententiae ipsoque facto incurrenda secundum analogiam aliarum censurarum posteriori aetate sunt adscribenda. Cfr. Devoti, *op. cit.* lib. IV, tit. 19, § 3, nota 23; Fleury, *Inst. can.* P. III, c. 21, § 2; Wernz, *l. c.* n. 219; Cavallari, *Inst. can.*, P. III, c. 36, § 4 et 5.

(2) *Mixtum*, seu ex personali et locali interdicto constans, directe tum personas tum loca sacra prohibitione afficit, et dicitur etiam *ambulatorium* quia afficit quaecumque loca, quae forte persona interdicta fuerit ingressa. Suarez, *l. c.* n. 3; Schmalzgr., *l. c.* n. 323; Ball.-Palm., *l. c.* n. 350; Lega, *l. c.* n. 146.

(3) Suarez, *l. c.* sect. 2, n. 1 ss.; D'Annibale, *l. c.* n. 367; Lega, *l. c.* n. 146 ss.; Wernz, *l. c.* n. 218.

(4) Suarez, *l. c.* n. 37; Noldin, *l. c.* n. 115; Wernz, *l. c.*

aut *praecepti generalis*, vel potius per modum *praecepti particularis* vel *sententia iudicialis* (1).

e) Ratione *finis*, in interdictum per modum *censurae* et interdictum per modum poenae *vindicativae* inflictum, uti supra animadvertimus (2).

f) Ratione *potestatis absolvendi*, in interdictum *reservatum* et *non reservatum*.

Articulus II

De interdictō in specie.

146. — Interdictum personale particulare. — 1° Usum divinorum *directe* ipsum prohibet personis; contra, interdictum locale nonnisi *indirecte*, quatenus eorumdem dispensatio vel perceptio certis in locis vetatur (3).

2° Interdictum personale sequitur personas *ubique* (4), ita ut quocumque eat et ubicumque degat personaliter interdictus, semper sacris prohibeatur (5).

3° Personaliter interdicti: *a*) nequeunt divina officia celebrare eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistere; at si mere passive assistant, necesse non est ut expellantur; *b*) interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti repelli debent ab assistentia activa quae aliquam secumferat participationem in divinis officiis celebrandis; *c*) Sacramenta recipere nequeunt; imo post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam nec Sacramentalia; *d*) prohibentur licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare; fideles autem ex qualibet iusta causa possunt Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc personaliter interdicti requisiti licite eadem ministrare queunt neque ulla tenentur obligatione causam a requirentibus percontandi; sed a personaliter interdictis post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem, tum

(1) Can. 2217, § 1, n. 3°.

(2) In dubio num interdictum sit censura vel poena vindicativa, praesumitur censura ex praescripto can. 2255, § 2.

(3) Can. 2268, § 2; Suarez, *l. c.* n. 2; Ball.-Palm., *l. c.*; D'Annibale, *l. c.* n. 376; Bucceroni, *l. c.* n. 136.

(4) Can. 2269, § 2.

(5) Suarez, *l. c.* n. 31; Devoti, *l. c.* § 1; Lega, *l. c.*; Wernz, *l. c.* n. 218.

etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia; *e*) prohibentur iure eligendi, praesentandi, nominandi, et quidem sub poena nullitatis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; *f*) nequeunt consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia, item, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, sub nullitatis poena; *g*) nullam gratiam pontificiam valide consequi possunt post praefatam sententiam, nisi in pontificio rescripto mentio de personali interdicto fiat; *h*) interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam carent sepultura ecclesiastica, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa (1).

147. — Interdictum personale generale. — 1° Personale interdictum generale *in populum dioecesis, reipublicae*, ferri potest tantum a Sede Apostolica vel de eius mandato; *in paroeciae* (item oppidi aut civitatis) *populum*, etiam Episcopus ferre potest (2). Quaeritur an *Episcopi* nomine veniat quoque Vicarius Generalis, Vicarius Capitularis, Administrator Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*. Ad Vicarium Generalem quod spectat, negative respondendum est ex praescripto can. 2220, § 2; remur e contra comprehendi Vicarium Capitularem, Administratorem Apostolicum, Abbatem vel Praelatum *nullius*.

2° Si communitas seu collegium delictum patraverit, interdictum ferri potest *a*) vel in singulas personas delinquentes; *b*) vel in communitatem, uti talem; *c*) vel in personas delinquentes ac simul in communitatem (3).

In priori casu, delinquentes sunt *personaliter interdicti* ideoque de iisdem dicendum est quod supra (n. 146, 3°) tradidimus (4). In altero casu, communitas seu collegium nequit ius ullum *spirituale* (non item temporale) exercere, quod ei, ut communitati seu collegio, competit, puta ius eligendi, praesentandi, nominandi etc. (5). In tertio casu, effectus cumulantur (6), i. e. membra communitatis, uti singula, habentur tamquam personaliter interdicta, uti partes corporis moralis seu collegii vel communitatis, nullum ius spirituale exercere valent, qua tales.

(1) Cfr. cc. 1240, § 1, n. 2°, 2260, 2261, 2265, 2275; Suarez, disp. XXXIII, sect. 1, n. 4 ss.; Ball.-Palm., *l. c.* n. 560; D'Annibale, *l. c.* n. 376; Wernz, *l. c.* n. 225 ss.

(2) Can. 2269, § 1.

(3) Can. 2274, § 1.

(4) Can. cit., § 2; Suarez, *l. c.* n. 12 s.

(5) Can. cit., § 3; Suarez, *l. c.;* Schmalzgr., *l. c.* n. 366 ss.

(6) Can. cit., § 4; Suarez, *l. c.* disp. XXXVI, sect. 2, n. 5 ss.; Schmalzgr., *l. c.* n. 369 s.

3° Qui subest interdicto in communitatem seu collegium lato, quin eidem causam dederit *per culpam formaliter gravem*, nec alia censura prohibeatur, potest, si rite sit dispositus, Sacramenta recipere, sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione (1).

4° Qui desinunt esse membra collegii vel communitatis, *dummodo non sint personaliter interdicti* iuxta ea quae sub n. 2 exposuimus, non amplius subiiciuntur interdicto, ex. gr. si quis recedat a societate seu collegio, vel mutet domicilium aut quacumque alia ratione de communitate esse desinat. Persona enim non est per se interdicta, sed tantum per quamdam participationem, utpote pars communitatis; qua participatione sublata, cessat unio partis cum toto, et consequenter fundamentum interdicti. Item qui de novo fit pars collegii vel communitatis generaliter interdictae manet eadem ratione interdictus (2).

5° Interdicto personali generali subsunt etiam absentes et innocentes, at indirecte tantum et quasi per accidens; non vero peregrini et advenae (3). Quod valet quoque de amentibus, qui sunt doli incapaces. Interdicto *latae sententiae* neque Episcopi neque impuberes tenentur (4). Sed ubi primum impuberes ad pubertatis aetatem pervenerint, interdicto ligantur (5).

6° Si interdictum feratur *in populum*, *clerici* non comprehenduntur, quia ex communi usu loquendi in Ecclesia recepto *populus* simpliciter dictus solet *a clero* distingui et *pro laico* accipi (6). Nomine populi in casu veniunt tantum laici seu saeculares, qui domicilium in paroecia vel dioecesi habent, non ideo peregrini et vagi, neque advenae, qui, licet quasi-domicilium ibi habeant, non sunt vere pars illius populi, ut ex. gr. scholastici (7).

7° Interdicto generaliter *clero*, non interdicuntur *laici*, neque *religiosi*, imo, saltem probabiliter, neque alii clerici, *qui nullum habeant ibi officium vel beneficium*, nam hi cum clero unum corpus constituere non censentur (8). Aliter dicendum si religiosi beneficium *saeculare* forte habeant, vel interdictum feratur generalius in

(1) Can. 2276 4°.

(2) Suarez, disp. XXXVIII, sect. 1, n. 16; D'Annibale, *l. c.* n. 370; Bucceroni, *l. c.* n. 136; Ball.-Palm., *l. c.* n. 554; Lehmkuhl, *l. c.* n. 1156, 4; Wernz, *l. c.* n. 232.

(3) Schmalzgr., *l. c.* n. 336 s.; D'Annibale, *l. c.* n. 369, nota 15.

(4) Can. 2227, § 2 et 2230.

(5) Cfr. Suarez, disp. XXXVI, sect. 2, n. 9; Ball.-Palm., *l. c.*

(6) Suarez, disp. XXXII, sect. 2, n. 14; Schmalzgr., *l. c.* n. 338 s.; Ball.-Palm., *l. c.* n. 557.

(7) Schmalzgr., *l. c.* n. 337; Ball.-Palm., *l. c.* n. 554.

(8) Schmalzgr., *l. c.* n. 330 ss.; Devoti, *l. c.* § 3; Suarez, *l. c.* n. 17; S. Alph., VII, n. 331; Ball.-Palm., *l. c.*; Marc, II, n. 1307, II; Wernz, *l. c.*

personas *ecclesiasticas* (1). In praxi standum omnino est verbis legis aut praecepti; quod si verba obscura sint, variae circumstantiae, praeter ipsam materiam, sunt spectandae, ad verum sensum intelligendum. Ubi autem res fuerit dubia, benignior interpretatio est facienda (2).

148. — Interdictum locale sive generale sive particulare. — 1° Interdictum locale *indirecte* tantum afficit personas eisque prohibet usum sacrorum, quatenus eorum dispensatio vel perceptio quibusdam in locis determinatis interdicitur (3).

2° Generale interdictum *in territorium dioecesis, reipublicae*, ferri solum potest a Sede Apostolica vel de eius mandato; generale *in paroeciam*, et a fortiori, particulare *in ecclesiam* seu *sacellum*, i. e. *certum in locum*, etiam Episcopus ferre potest (4). Huc spectant quae (n. 147, 1°) diximus de Vicario Generali, Administratore Apostolico etc. (5).

3° Interdictum locale, cum directe afficiat locum eiusque finibus circumscribatur, non urget extra locum interdictum; sed in loco interdicto omnes etiam exteri (i. e. qui domicilium ibi non habent, ut vagi, peregrini et advenae) aut exempti (scil. qui non subiacent potestati Superioris interdictum ferentis), excluso speciali privilegio (6) illud servare debent (7). Quare etiam regulares, licet exempti, tenentur servare interdictum locale, nedum a Sede Apostolica latum, verum ab Episcopo quoque inflictum (8).

4° Qui interdicto locali subsunt, dummodo eidem causam non

(1) Schmalzgr., *l. c.* n. 339; Ball.-Palm., *l. c.*

(2) Suarez, *l. c.*; cfr. can. 2219, § 1.

(3) Can. 2268, § 2.

(4) Can. 2269, § 1.

(5) Uti ex iure antiquo, ita ex disciplina nunc vigente Praelati regulares nequeunt « apponere interdictum in ecclesiis sibi subiectis, quia eorum iurisdictio est personalis, non autem localis, et etiam quia actus iste percutit exercitium iurisdictionis in clerum et populum illos privando, ne in ea celebrare, et respective audire possint divina, et sic cum non subditis... ut declaravit S. C. EE. et RR. *in Neapolitana Censurar.* 21 iun. 1679 ». Ita Ferraris, *Biblioth.* v. *Interdictum*, art. 1, n. 21. Cfr. etiam De Luca, *De iurisdict.*, disc. 99, n. 2; Suarez, *l. c.* disp. XXXVI, sect. 1, n. 2, Schmalz., *l. c.* n. 341, Wernz, *l. c.* n. 220, n. 497. Quare Praelati regulares, cum iurisdictione gaudeant potius in personas, quam in territoria aut loca, nonnisi *personale* interdictum ferre possunt.

(6) Cfr. c. 11, *de privil.* V, 7, in 6°; Schmalzgr., *l. c.* n. 332.

(7) Can. cit. § 2. Ex quo patet ius Decretalium prorsus immutatum fuisse hac in re; nam interdictum locale semper secum ferebat speciale interdictum personale, ita ut neque in loco interdicto neque extra illud fideles divina participare poterant. Schmalzgr., *l. c.* n. 333; Wernz, *l. c.* n. 221.

(8) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 12 *de regul.*

dederint, nec alia censura prohibeantur, possunt, si rite sint dispositi, Sacramenta recipere, sine absolutione ab interdicto aut alia satisfactione (1).

5° Effectus interdicti localis non sunt omnes et singuli a iure expresse statuti ac determinati, sed arbitrio Praelati interdictum ferentis relinquitur eorumdem extensio vel restrictio, ita tamen ut principia disciplinae ecclesiasticae rite serventur simulque animarum saluti probe consulatur. Hoc sensu profecto intelligenda sunt verba « si... interdicti decreto aliud non caveatur expresse », quae leguntur initio can. 2271.

6° Si interdictum fuerit *altare* vel *sacellum* alicuius ecclesiae, nullum sacrum officium seu ritus sacer in eisdem potest licite celebrari (2).

Si interdictum fuerit *coemeterium*, cadavera fidelium possunt quidem sepeliri ibidem, at sine ullo ecclesiastico ritu (3).

Si interdicta fuerit *ecclesia capitularis* tantum, non vero simul interdictum sit Capitulum, clerici possunt omnia divina officia et sacros ritus in eadem *privatim obire, ianuis tamen clausis, voce submissa et campanis non pulsatis*, dummodo interdicti decretum haud praecipiat Missam conventualem celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia vel oratorio (4).

Si interdicta fuerit *ecclesia paroecialis*, et decretum interdicti aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem non substituat, haec in eadem permittuntur: *a*) celebratio unius Missae; *b*) asservatio sanctissimi Sacramenti; *c*) administratio baptismatis; *d*) item Eucharistiae ac poenitentiae; *e*) assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali; *f*) mortuorum exsequiae, vetita tamen quavis sollemnitate; *g*) benedictio aquae baptismalis; *h*) benedictio sacrorum oleorum (si agitur de ecclesia cathedrali); *i*) praedicatio verbi Dei. In his tamen sacris functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra supellectili et sonitus campanarum, organorum, aliorumve instrumentorum musicalium; sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferri debet (5).

7° *Interdicta civitate*, manent interdicta loca accessoria (6) etiam

(1) Can. 2276. Ad ius antiquum quod spectat, praescripto huius canonis plane immutatum, cfr. Suarez, disp. XXX, sect. 1; Schmalzgr., *l. c.* n. 331 s.; Ball.-Palm., *l. c.* n. 553; D'Annibale, *l. c.* n. 371.

(2) Can. 2272, § 1.

(3) Can. cit. § 2.

(4) Can. cit. § 3, n. 1°.

(5) Cc. 2271, 2°, 2272, § 3, n. 2°.

(6) Nempe aedificia propinqua, quae non distent ab urbe ultra mille passus; si autem ulterius absint vel, etsi infra sita, difficilem accessum habeant, censentur non comprehendi. Ball.-Palm., *l. c.* n. 555; D'Annibale, *l. c.* n. 368.

exempta (1) et ipsa ecclesia cathedralis; *interdicta ecclesia*, interdicta sunt sacella contigua (2), non vero coemeterium; *interdicto sacello* (3), non est interdicta integra ecclesia nec, *interdicto coemeterio*, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta (4).

8° Tempore interdicti localis *generalis*, nisi *aliud in decreto interdicti expresse caveatur*, permittitur clericis universis, modo ipsi non sint personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio *privatim obire*, *campanis non pulsatis*, *ianuis clausis* et *voce submissa*, ita scilicet ut ab his qui foris sunt nihil exaudiri possit (5).

In ecclesia vero *cathedrali*, *ecclesiis paroecialibus* vel in ecclesia quae *unica* sit in oppido (seu pago aut villa), *in iisque solis*, permittuntur omnia quae supra (n. 4°) exposuimus loquentes de interdicto *in ecclesiam paroecialem* lato, cum iisdem restrictionibus (6).

9° Interdictum locale sive generale sive particulare prohibet, salvis exceptionibus memoratis sub n. 4° et 5°, quodlibet divinum officium vel sacrum ritum in loco interdicto. At morientibus tam Sacramenta quam Sacramentalia, servatis servandis, ministrari licite queunt (7).

(1) Comprehendunturne etiam loca aliis Episcopis forte subiecta, ita ut extra terminos dioecesis interdictum generale vim suam obtineat? Attento iure antiquo, certe affirmandum est. Cfr. Suarez, disp. XXXVI, sect. 2, n. 3 ; D'Annibale, *l. c.* n. 368. Ex disciplina nunc vigente, aliter omnino putamus. Quare loca *exempta* ea dicuntur, quae intra fines dioecesis exsistunt, licet Episcopi iurisdictioni non subsint, puta monasterium. Interdictis *omnibus* urbis ecclesiis, remur non comprehendi cathedralem, quae, nisi expresse nominetur, excepta intelligitur, propter eius honorem. Schmalzgr., *l. c.* n. 327 ; Ball.-Palm., *l. c.* n. 555.

(2) Sacella contigua ea sunt, quae *unum locum* cum ecclesia interdicta *constituunt*, ut explicat Suarez (disp. XXXII, sect. 2, n. 25), vel *quorum extremitates sese contingunt*, uti habet D'Annibale (*l. c.* nota 27).

(3) Nomine *sacelli* venit capella seu oratorium. Schmalzgr., *l. c.* ; Forcellini, v. *Sacellum*.

(4) Can. 2273.

(5) Can. 2271, n. 1° ; cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 371, nota 27.

(6) Can. cit. n. 2°.

(7) Can. 2270, § 1. Iure antiquo Sacramentum *Eucharistiae*, extra mortis articulum, recipi non poterat in loco interdicto ne ab ipsis quidem innocentibus neque ab iis qui interdicto personali generali subessent. Moribundis *Extremam Unctionem* ministrare non licebat, nisi Sacramentum Poenitentiae recipere non possent, puta, quia sensibus destituti. Cfr. Schmalzgr., *l. c.* n. 355 ; Suarez, disp. XXXIII, sect. 1, n. 38; D'Annibale, *l. c.* n. 372 ; Ball.-Palm., *l. c.* n. 565; Wernz, *l. c.* n. 226. Vestigium mitioris disciplinae iure novo sapienti

10° In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi et Beatae Mariae Virginis in caelum assumptae, interdictum locale suspenditur, et, dum omnia divina officia ac sacri ritus permittuntur, non excluso sonitu campanarum et cantu ac pompa in sacris functionibus peragendis, prohibetur tantum collatio ordinum sive maiorum sive minorum, imo etiam tonsurae (1), et sollemnis nuptiarum benedictio (2).

149. — Interdictum ab ingressu ecclesiae. — 1° Est pars interdicti personalis specialis (3) et secumfert « prohibitionem ne quis in ecclesia divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat; si autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur » (4). Itaque talis interdictus nequit *in ecclesia* interesse divinis, celebrare aut audire Missam, Sacramenta administrare, sollemni Psalmodiae adsistere; potest autem privatim orare, concioni interesse, imo et Sacramenta recipere (5).

2° Nomine *ecclesiae* non venit oratorium, privatum vel semipublicum aut publicum, sed tantum « aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum » (6). Hinc patet derelinquendam nunc esse fere communem doctrinam auctorum, nomine ecclesiae simpliciter intelligentium *locum auctoritate Episcopi deputatum ad sacra facienda* (7).

Extra ecclesiam huiusmodi interdictus perinde habetur ac si

consilio introductae, habetur in decreto S. C. Consist. 30 sept. 1909, quo civitas Adria cum suburbio supposita est interdicto generali sive locali sive personali; item in alio decreto eiusdem S. C. Consist. 10 dec. 1913, quo generale interdictum locale et personale latum est in civitatem *Galatina* et suburbium. Cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. 1, p. 765 s.; vol. V, p. 517.

(1) Can. 950.

(2) Can. 2270, § 2. In casu extraordinario, cum scil. tanta sit penuria sacerdotum, ut non sufficiant Sacramentis administrandis permissisque divinis officiis obeundis, vel ipsa ordinatio in loco interdicto licita est. At huiusmodi casum rarum fore supponimus; nam potest Episcopus ordinandis suis mittere ad Episcopum viciniorem loci non interdicti. Cfr. Schmalzgr., *l. c.* n. 356; Suarez, *l. c.* n. 44; Ball.-Palm., *l. c.* n. 564, 6°; Wernz, *l. c.* n. 226, nota 533.

(3) Suarez, disp. XXXV, sect. 4, n. 21; Schmalzgr., *l. c.* n. 379; Ball.-Palm., *l. c.* n. 566; D'Annibale, *l. c.* n. 378.

(4) Can. 2227.

(5) Etiam iure antiquo, iuxta veriorem sententiam, licebat interdicto privatim sacramenta recipere in ecclesia. Cfr. Schmalzgr., *l. c.* n. 387; D'Annibale, *l. c.* n. 379; Ball.-Palm., *l. c.*

(6) Can. 1161.

(7) Suarez, *l. c.* n. 2; Schmalzgr., *l. c.* n. 385; Ball.-Palm., *l. c.*

nulla teneretur censura; idcirco potest administrare sacramenta, divina officia obire, Missam celebrare nedum in *privatis* oratoriis, ut olim docebant auctores (1), verum etiam in *semi-publicis* et *publicis*, nam Codex clare ac nominatim distinguit inter *ecclesias et oratoria*, diversis equidem sub titulis de utrisque agens (2).

3° Interdictum ab ingressu ecclesiae sive per modum censurae sive per modum poenae vindicativae ferri potest. Si infligatur « in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris » (3) est poena vindicativa; secus, censura. In dubio, praesumitur censura (4).

150. — Causa interdicti seu culpa. — 1° Interdictum *personale speciale* praesupponit *gravem culpam* ab eo admissam, qui hac poena plectitur. Etenim finis interdicti est culpae emendatio et punitio; ideoque nonnisi ob culpam, eamque gravem, ferri potest (5).

2° Interdictum *personale generale* longe graviorem causam seu culpam requirit, quam speciale; non tamen eam exigit in omnibus personis, quae tali interdicto ligantur, sed in corpore morali, ut tale est, vel in magna parte eius, vel in capite. Ratio, quia poena debet esse proportionata culpae; sed hoc interdictum longe gravius est, quam speciale, nam non solum unam et aliam personam, sed totam communitatem plurimum gravat; ergo requirit graviorem causam (6). Porro quaenam culpa requiritur? Oportet, delictum aliquo modo sit *commune*, vel quatenus perpetratum fuerit *a capite communitatis* « quia talis culpa capitis quodammodo redundat in corpus propter coniunctionem, et quia potestas superioris est quo-

(1) Suarez, *l. c.* n. 9; Schmalzgr., *l. c.* n. 381; D'Annibale, *l. c.*; Ball.-Palm., *l. c.*; Bucceroni, *l. c.* n. 135.

(2) Cfr. cc. 1161-1187; cc. 1188-1196. Nulla mentio occurrit in Codice de *cessatione a divinis*, cuius nomine apud auctores (cfr. Suarez, disp. XXXIX, sect. 1 ss.; Schmalzgr., *l. c.* n. 401; S. Alph., *l. c.* n. 340; Ball.-Pall., *l. c.* n. 590; D'Annibale, *l. c.* n. 380; Lega, *l. c.* n. 152; Bucceroni, *l. c.* n. 138; Wernz, *l. c.* n. 235 ss.), venit *prohibitio ecclesiastica primario clericis imposita celebrandi divina officia et administrandi sacramenta in aliquo loco*. Nulla fit mentio quia, licet interdicto eiusmodi cessatio sit affinis ad effectus quod attinet, tamen non est neque censura neque poena vindicativa, sed mera prohibitio, in *signum afflictionis et tristitiae Ecclesiae* de iniuria sibi illata, per modum praecepti, imposita. Ideo non huc spectat *cessatio a divinis*. Eximius Suarez amplissimam et accuratissimam dissertationem de eodem habet (disp. cit., sect. 1-4), ad quam lectores, si velint, remittimus.

(3) Can. 2291, n. 2.

(4) Can. 2255, § 2.

(5) Cfr. n. 13; Suarez, disp. XXXVI, sect. 3, n. 2; Schmalzgr., *l. c.* n. 345.

(6) Suarez, *l. c.* n. 4.

dammodo totius communitatis » (1); vel quatenus delictum fuerit commissum *a communitate*, ut talis est, scil. a Capitulo, a collegio etc. « Tunc delictum est maxime publicum et commune... Nec vero necesse est, ut omnes de universitate formaliter, ut sic dicam, conveniant in illam congregationem, ex cuius consensu proxime fit delictum, sed satis est, quod talis congregatio totam universitatem repraesentet » (2).

3° Interdictum *locale particulare* requirit culpam gravem, imo graviorem, quam interdictum personale speciale, cum gravius sit eiusmodi interdicto. Sane redundat in gravamen plurium personarum, etiam innocentium; idcirco ferri non potest propter peccatum omnino privatum unius personae particularis, sed solum ob culpam quae aliquo modo communis est (3), seu quae in praeiudicium boni publici vergat.

4° Interdictum *locale generale*, ut iuste feratur, requirit causam gravissimam, quae non tantum peccatum mortale contineat, sed etiam sit generalis ex peccato aliqua ratione publico seu communi procedens (4); i. e. tale delictum requiritur, quod sit ipsius principis seu rectoris, vel totius quodammodo communitatis, uti supra loquentes de interdicto generali personali declaravimus.

151. — Sollemnitates iuris servandae. — 1° In ferendo interdicto forma quaedam substantialis sollemnitatis ex natura rei non est praescripta, praeter eam, quae requiritur in quavis censura infligenda (5). Itaque huc spectant quae alibi dicta fuerunt (n. 15 ss.).

2° Si agitur de interdicto locali, publicatio sententiae seu decreti de eodem servando necessaria omnino est, secus ab iis, ad quos pertinet, observari nequit (6).

3° Cum effectus interdicti non sint omnes et singuli nominatim a iure determinati (cfr. n. 148, 5°), sed partim arbitrio Superioris illud infligentis determinandi, si velit, relinquantur, manifesto patet sententiam seu decretum interdicti ita esse perspicue et accurate conscribendum, ut dubia, in praxi facile oritura, vitentur.

152. — Quomodo cesset interdictum. — 1° Interdictum locale seu in certam ecclesiam vel oratorium latum, cessat ipso facto ecclesia vel oratorio destructo (7); item inflictum in communitatem,

(1) Suarez, *l. c.* n. 5.
(2) Suarez, *l. c.*
(3) Suarez, *l. c.* n. 9.
(4) Suarez, *l. c.* n. 6.
(5) Suarez, *l. c.*, sect. 4, n. 1 ss.; Wernz, *l. c.* n. 224.
(6) Suarez, disp. III, sect. 14, n. 4 ss.; Wernz, *l. c.*
(7) Suarez, disp. XXXVIII, sect. 1, n. 9.

uti talem, cessat extincta omnino communitate (1). Aliter si, delicto a communitate perpetrato, interdictum latum fuerit sive in personas delinquentes sive in communitatem.

2° Interdictum *sub conditione* aut *pro certo tempore* inflictum, impleta conditione aut elapso tempore statim cessat, quin opus sit dispensatione vel absolutione (2). Ita opinamur cum clariss. Vernz (3) quoad interdictum *sub conditione* latum, nisi ex verbis aut ex adiunctis constet aliam esse mentem Superioris.

3° Interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium, in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris latum, cum sit poena vindicativa (4), *dispensatione* tollitur, non autem absolutione; quae dispensatio concedi tantum potest ab eo qui poenam tulit, vel ab eius competente Superiore aut successore, vel ab eo cui haec potestas commissa est (5).

Itaque interdictum *locale* quodlibet et interdictum *personale generale* nonnisi a Superiore habente iurisdictionem fori externi in locum vel personas relaxari potest, numquam vero a confessario, etsi privilegiato, cum locus et communitas foro poenitentiae non subiiciantur (6).

Si interdictum non est censura, sed *poena vindicativa*, praescriptum can. 2290 prae oculis habeatur: « In casibus *occultis* urgentioribus, si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest *in foro sacramentali* obligationem servandae poenae suspendere, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis. Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam can. 2254, § 3 ».

4° Interdictum *personale speciale* sola *absolutione* tollitur, ideo non cessat, puta, sive interdictus a loco interdicto discedat, et alio domicilium suum conferat, sive collegii aut communitatis interdictae pars esse desierit (7). Et solvi potest a quovis confessario, nisi

(1) Suarez, *l. c.;* Wernz, *l. c.* n. 232.

(2) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 3 ss.; Schmalzgr., *l. c.* n. 398; D'Annibale, *l. c.* n. 375.

(3) *Loc. cit.*

(4) Can. 2291, n. 1.

(5) Can. 2236, § 1.

(6) Suarez, *l. c.* sect. 2, nn. 2, 5 s.; D'Annibale, *l. c.;* Noldin, *l. c.* n. 117; Wernz, *l. c.* n. 233.

(7) Suarez, *l. c.* sect. 1 n. 18; D'Annibale, *l. c.* n. 377.

fuerit *ab homine* vel *reservatum*. Si fuerit *ab homine*, is tantum valet absolvere qui interdictum inflixerit, eiusve Superior competens, vel successor aut delegatus; si fuerit *reservatum*, huc spectant quae fuse tradidimus de absolutione *a censuris reservatis*, sive in periculo mortis sive extra mortis periculum sive in casibus urgentioribus ad normam cc. 2252-2254.

5° Interdictum quod incurritur ab eo, qui dedit causam interdicto seu locali, seu personali generali, de quo in can. 2276, *a iure* est, nec est *reservatum*, nisi *nominatim* (1) etiam inflictum fuerit (2). Ideo quilibet confessarius potest absolvere, sed postquam interdictus satisfecerit, aut serio promiserit satisfacturum (3).

6° Interdictum *ab ingressu ecclesiae*, si habet rationem censurae, tollitur absolutione; si habet rationem poenae vindicativae, cessat aut lapsu temporis praefiniti aut dispensatione.

7° Ad *formam* quod attinet absolvendi ab interdicto, vide quae alibi (n. 29) exposuimus.

Articulus III.

De interdictis reservatis.

I.

« *Universitates, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur... a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes... interdictum speciali modo Sedi Apostolicae reservatum incurrunt* » (can. 2332).

153. — Universitates, Collegia, Capitula. — Interdictum non fertur in *omnes* et *singulos*, sed in *communitatem*, uti talem. Proinde est interdictum personale *generale*, non vero *speciale*, cum corpora moralia afficiat, non autem singulares personas. Attamen

(1) Eo ipso quod *nominatim* fertur, consideratur tamquam *ab homine*.

(2) Cfr. D'Annibale, *l. c.*

(3) Suarez, *l. c.* n. 9 s. Clariss. D'Annibale (*l. c.*) habet: « Postquam... satisfecerit, aut *iuraverit* satisfacturum ». Putamus iuramentum non amplius requiri ex disciplina nunc vigente, congrua congruis referendo, ex praescripto can. 2242, § 3. Sufficit, ut pro certo habemus, *seria promissio*.

singula membra universitatis vel collegii aut capituli, seu clerici seu laici, seu culpabiles seu innocentes, interdicto ligantur. Porro effectus huius interdicti unus est, scil. universitas seu collegium aut capitulum nequit ius ullum spirituale exercere quod ei competat (1).

Aliaeve personae morales (2), quocumque nomine nuncupentur, nempe confraternitates, congregationes, communitates omnes, sive ecclesiasticae sive etiam laicae. Non comprehenduntur vero *piae uniones*, simpliciter ab Ordinario approbatae, quippe quae personae morales non sunt ex praescripto can. 708.

A legibus, decretis... appellantes. — Huc pertinent quae alibi (n. 82) exposuimus, loquentes de excommunicatione speciali modo reservata Sedi Apostolicae, cui *singulae* personae *appellantes* subsunt.

Ad incurrendum interdictum necesse non est, omnes et singuli appellent ad Universale Concilium, sed satis est, si maior pars collegii seu communitatis id agat, ita quidem ut culpa redundet in universum corpus morale (3).

Hoc interdictum, quod etiam in iure antiquo habebatur (4), habetne rationem censurae? Auctores, qui ius vetus interpretantur, negant communiter (5). Iure novo aliter omnino dicendum, cum non agatur de interdicto « in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris » (6) lato.

Quaeritur, an incurrentes hoc interdictum contrahant etiam excommunicationem R. Pontifici speciali modo reservatam (n. 82)? Ex iure antiquo, alii negabant, v. gr. D'Annibale (7), Ball.-Palm. (8),

(1) Can. 2274, § 3.

(2) In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae morales, publica auctoritate constitutae, quae distinguuntur in personas morales collegiales et non collegiales, ut ecclesiae, Seminaria, beneficia etc. (can. 99).

Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina; ceterae inferiores personae morales in Ecclesia eam sortiuntur sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum (can 100), § 1).

Persona moralis collegialis constitui non potest, nisi ex tribus saltem personis physicis (can. cit. § 2).

(3) Suarez, disp. XXXVI, sect. 3, n. 5; Wernz, *l. c.* n. 223.

(4) Cfr. Bull. *Coenae*, § 2; Const. *Apost. Sedis*, n. 46.

(5) Ball.-Palm., *l. c.* n. 574; Bucceroni, *l. c.* n. 127; D'Annibale, *l. c.* n. 157; Gury-Ball., II, n. 818, nota 3; Gury-Ferreres, II, n. 1006, II.

(6) Can. 2291, n. 1°.

(7) *Loc. cit.* n. 158.

(8) *Loc. cit.* et ad Gury, *l. c.*

Ciolli (1); alii affirmabant (2). Sententia negativa, saltem ex iure quo nunc regimur, videtur vix non certa tum quia excommunicatio eos tenet, qui ut *singuli* ac *nomine proprio* appellant, interdictum e contra eos afficit, qui ut *membra* universitatis vel collegii et ideo *nomine universi corporis moralis* appellant; tum quia ex praescripto can. 2338, § 4, sunt ipso facto *personaliter interdicti* qui causam dederunt praefato interdicto, seu qui reipsa appellarunt.

II.

« *Sponte sepulturam* (ecclesiasticam) *eisdem* (infidelibus, apostatis a fide, haereticis, schismaticis, aliisve sive excommunicatis sive interdictis contra praescriptum can. 1240, § 1) *donantes*, *interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum* (contrahunt) » (can. 2339).

154. — Sponte; ergo metus quicumque, etiam levis, excusat ab interdicto incurrendo.

Sepulturam; intellige non solum depositionem cadaveris in loco sacro, sed etiam translationem eiusdem ad ecclesiam seu ritum religiosum ad normam can. 1204 (3).

Eisdem, scil. infidelibus, apostatis etc. Vide quae alibi diximus (n. 137) hac de re.

Donantes; non laici, sed *clerici* tantum debent intelligi, ii nempe, ad quos spectat cadaver transferre ad ecclesias, exsequias super illud celebrare, in loco sacro reponere.

Interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum. — Quoad effectus vide n. 149. Eiusmodi interdictum est personale speciale; habet rationem censurae. Huc pertinent, ad absolutionem ab eo quod attinet, quae supra exposuimus (n. 152).

(1) *Op. cit.* n. 188.
(2) Cfr. Bucceroni, *l. c.;* Lehmkuhl, II, n. 1271.
(3) Cfr. n. 43.

Articulus IV.

De interdictis non reservatis.

I.

« *Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint* » (can. 2338, § 3).

155. — Hoc interdicum solos *clericos* afficit (1), et quidem *a*) *celebrantes*, *b*) *celebrari facientes*, *c*) *admittentes*. Est interdictum *personale speciale*.

Scienter; haec vox initio posita refertur sive ad celebrantes sive ad celebrari facientes sive ad admittentes. Idcirco excusat ignorantia quaevis, facti et legis ac solius etiam poenae, quamvis crassa et supina.

Celebrantes etc. i. e. qui extra dies exceptos et loca, ac non servatis conditionibus, quibus ex iure licet, celebrant aut celebrare faciunt (2). *Celebrari facientes* dicuntur, qui iussu, consilio vel prece (a fortiori si minis seu metu) quempiam inducunt ad celebrandum, alias non celebraturum (3).

Divina, nempe quae solis Ecclesiae ministris fas est obire (4).

In locis interdictis. — Haec verba, cum sint omnino generalia, intelligenda sunt non solum de interdicto locali generali, sed

(1) Non desunt auctores qui putent etiam *laicos*, quibus, puta, cura ecclesiae sit commissa, subiici huic interdicto, si *admittant* clericos excommunicatos etc. ad officia divina obeunda. Cfr. Marc, *l. c.* n. 1377. Hanc sententiam ut probabilem non habemus, quia *admittere* vere et proprie ad eos tantum spectat qui *officio* tenentur; porro eiusmodi officium *prohibendi* vel *admittendi* clericos ad officia divina celebranda, ad laicos iure non pertinet, cum potestatem in locis sacris ipsi non habeant.

(2) Suarez, disp. XXXVII, sect. 1, n. 5; D'Annibale, *l. c.* n. 160; Ball.-Palm., *l. c.* n. 575.

(3) Bucceroni, *l. c.* n. 128.

(4) Cfr. n. 36 ss.; can. 2256, n. 1°.

etiam de quocumque alio, ita ut quaevis loca interdicta, etsi particularia, comprehendant.

156. — Admittentes, scil. ii, quorum est *ex officio* prohibere vel admittere aliquem ad officia divina celebranda, uti sunt parochi, rectores aliique, quibus cura ecclesiae est commissa (1).

Per censuram vetita; non ideo quaelibet officia divina, sed ea tantum quae ad normam cc. 2270-2275 sunt prohibita (2).

Excommunicatos, interdictos etc. — Iure antiquo admittentes solum « nominatim excommunicatos » (3) hoc interdicto plectebantur.

Post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. — Nota haec verba referri seu ad excommunicatos seu ad interdictos seu ad suspensos.

Interdictum ab ingressu ecclesiae. — Ad effectus quod attinet eiusmodi interdicti specialis, vide quae supra tradidimus (n. 149).

157. — Donec etc. — Remur interdictum ipso facto cessare, quin opus sit absolutione, statim ac delinquentes *congruam* satisfactionem dederint, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt (4). Quod, congrua congruis referendo, confirmari opinamur declaratione S. O. 1 febr. 1871. Ceterum, haec quaestio parum refert ad praxim, nam interdictum, uti patet, non est reservatum.

II.

« *Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti* » (can. 2338, § 4).

158. — Qui causam dederunt, i. e. qui delictum patrarunt, propter quod interdictum locale vel personale generale inflictum est. Oportet, culpa formaliter gravis sit; ideo quidquid excusat a gravi culpa, excusat quoque ab incurrrendo interdicto (5).

(1) Suarez, *l. c.* n. 6 ; Ball.-Palm., *l. c.;* Gury-Ferreres, *l. c.* n. 1007 ; Marc, *l. c.* 1377.

(2) V. n. 38.

(3) Cfr. *c. Episcoporum* 8. *de privil. in* 6° ; Const. « *Apost. Sedis* », n. 47.

(4) Cfr. Bucceroni, *l. c.* n. 46, 128 ; Génicot, *l. c.* n. 596 ; Pennacchi, *l. c.* p. 517 ; Gury-Ferreres, *l. c.;* Pighi, *l. c.* n. 501, 3°.

(5) Suarez, disp. XXXVI, sect. 3, n. 1 ss.

Personaliter interdicti. — Quaenam iisdem prohibeantur, suo loco diximus (n. 146, 3°). Hoc interdictum est vera ac propria censura. Itaque nonnisi absolutione relaxari potest, et quidem, cum non sit reservatum, neque sit *ab homine*, sed *a iure*, a quocumque confessario (1).

CAPUT IV.

DE SUSPENSIONE

Articulus I.

De suspensionis natura.

159. — Notio. — Suspensio (2) est « censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur » (can. 2278, § 1) (3).

Dicitur *a*) *censura*, ut significetur suspensionem esse poenam medicinalem, eo fine directe ac principaliter inflictam ut delinquens a contumacia recedat, et ideo distingui ab irregularitatibus atque a poenis vindicativis et etiam a suspensione per modum poenae vindicativae lata (4).

b) Dicitur *qua clericus*, quia suspensio in solos clericos, ut tales, ferri potest, quoniam ii tantum habent officium et beneficium

(1) Cfr. Schmalzgr., *l. c.* n. 377; Suarez, *l. c.* n. 4 s.

(2) Poena *suspensionis* antiquissima est in Ecclesia, eaque a Patribus *abstinendi*, *interdicendi*, aut *prohibendi* vocabulis significatur (cfr. Devoti, *l. c.* tit. XX, § 2, nota 2). Apud veteres sub generali excommunicationis nomine, veniebat etiam *suspensio* ad certum, vel incertum tempus inflicta, aut perpetua depositio a sacris religiosisve officiis; et nonnisi serius speciale suspensionis nomen ad censuram proprie designandam usurpari consuevit. Cfr. Berardi, *Commentaria in ius eccl. univ.*, Mediolani, MDCCCXLVII, vol. II, P. II, dissert. III, cap. 7.

(3) Suarez, *l. c.* disp. XXV, sect. 1, n. 2; Schmalzgr., *l. c.* n. 263; Devoti, *l. c.* § 1; Kober, *Die suspension*, Tübingen, 1862, p. 10; Ball.-Palm., *l. c.* n. 490; D'Annibale, *l. c.* n. 381; Lega, *l. c.* n. 154; Bucceroni, *l. c.* n. 112; Noldin, *l. c.* n. 109; Hilarius a Sexten, *l. c.* p. 65; Ojetti, *op. cit.* v. *Suspensio*, n. 3885; Wernz, *l. c.* n. 201.

(4) Suarez, *l. c.* sect. 2, n. 4; disp. XXX, sect. 1 et 2; D'Annibale, *l. c.*; Ball.-Palm. *l. c.* n. 491.

ecclesiasticum, et consequenter functiones quasdam proprias potestatis ecclesiasticae (1).

c) Dicitur *officio vel beneficio vel utroque*, ut indicetur triplicem haberi suspensionem, nimirum ab officio, a beneficio, atque ab utroque simul. Porro nomine *officii*, ad normam can. 145, § 1, et 2279, § 1, intelligitur omnis potestas spiritualis ad aliquem spiritualem actum exercendum, sive sit ordinis, sive iurisdictionis, sive etiam mere administrativa potestas ecclesiastica (2); nomine *beneficii*, iuxta praescriptum can. 1409, venit ius utendi fruendi bonis patrimonialibus beneficio adnexis, vel brevius, ius percipiendi fructus seu reditus beneficii (3).

d) Dicitur *prohibetur*, quia suspensio non privat officio aut beneficio, i. e. non aufert ipsum ius vel ipsam potestatem, sed usum tantum atque exercitium (4).

160. — Ex tradita definitione liquido constat suspensionem differre ab *excommunicatione*, quatenus 1° excommunicatio tum clericum tum laicum afficere potest, suspensio clericum solum; 2° excommunicatio omnibus bonis privat, quae ex communione cum fidelibus profluunt: suspensio usu tantum ecclesiasticae potestatis; 3° excommunicatio, « etiam cum hoc usu privat, formaliter differt a suspensione; quia illa hoc privat, quatenus hic usus est *quaedam communicatio cum fidelibus;* haec ipso privat, quatenus est usus potestatis » (5).

Differt etiam ab *interdicto*, ut supra (n. 144) fuit animadversum.

Differt ab *irregularitate;* nam haec, etiam quando ex delicto oritur, per se non est poena, sed *impedimentum* prohibens nedum potestatem acceptam exerceri, sed et eamdem recipi (6).

Demum differt a *depositione* et a *degradatione;* nam depositio « secumfert tum suspensionem ab officio, et *inhabilitatem* ad quaelibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, tum etiam *privationem* illorum, quae reus habeat, licet eorum titulo

(1) Suarez, disp. XXVIII, sect. 2; Devoti, *l. c.;* Ball.-Palm., *l. c.* n. 494; D'Annibale, *l. c.*

(2) Can. 2279, § 2; Suarez, *l. c.* n. 12. — Hinc non satis recte, absi. tirreverentia, videntur loqui auctores (cfr. Lega, *l. c.* n. 156; Ball.-Palm., *l. c* n. 490), qui docent officium comprehendere simpliciter potestatem *ordinis* et *iurisdictionis*. Non satis recte, inquam; nam officium comprehendit etiam potestatem *merae administrationis*, ut clare indicatur, ceteris omissis, in can. nuper citato.

(3) Suarez, *l. c.;* D'Annibale, *l. c.* n. 382; Lega, *l. c.*

(4) Suarez, disp. XXVI, sect. 1, n. 1 s.; Schmalzgr., *l. c.* n. 265; D'Annibale, *l. c.* n. 381.

(5) Ball.-Palm., *l. c.* n. 495.

(6) Suarez, disp. XL, sect. 2.

fuerit ordinatus » (1); degradatio « in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem » (2).

161. — Divisio. — Suspensio late sumpta multipliciter dividitur:

a) Ratione *finis*, in suspensionem, quae est proprie *censura*, et suspensionem quae est *poena vindicativa* (3). Suspensio est *censura*, cum infligitur ut poena medicinalis ad frangendam contumaciam; est poena *vindicativa*, quando infligitur in vindictam perpetrati criminis, sive in perpetuum, sive ad tempus praefinitum, sive ad beneplacitum Superioris (4). Auctores passim loquuntur etiam de suspensione quae est mera *prohibitio*, et habetur cum quis suspensioni subiicitur, licet neque contumax sit neque deliquerit; idque contingit quando suspensio fertur, puta, in collegium, et pars eiusdem collegii, quamvis innocens, impediatur ab iis functionibus exercendis, quae communes sunt collegio et a quibus collegium suspensum est (5). De prohibitione, ut poena vindicativa, vide can. 2298, n. 1° ss. Quidam aliam addunt suspensionem, quam *ad cautelam* vocant. Fertur ob solam suspicionem criminis; sed tantum ab officio vel ab administratione (6).

(1) Can. 2303, § 1.

(2) Can. 2305, § 1; cfr. Suarez, disp. XXX, sect. 1 et 2; Berardi, *l. c.* dissert. IV, cap. 1; Devoti, lib. I, tit. VIII, sect. 4; Lega, *l. c.* n. 176 ss.; Santi, *op. cit.* lib. V, tit. XXVII, n. 5 s.; Hilar. a Sexten, *op. cit.* n. 66 s.; Wernz, *l. c.* n. 120, 127.

(3) Suarez, disp. XXV, sect. 2, n. 4; D'Annibale, *l. c.* n. 184; Ball.-Palm., *l. c.* n. 491.

(4) Can. 2298, n. 2°.

(5) Ball.-Palm., *l. c.*; Wernz, *l. c.* n. 202.

(6) D'Annibale, *l. c.* — Etiam suspensio ex informata conscientia infligi potest tamquam censura, « *dummodo hoc in casu clerico patefiat causa propter quam suspensio irrogatur* ». Can. 2188, n. 2°. Causam esse patefaciendam sub poena nullitatis censurae, manifestum est.

Ad suspensionem ex informata conscientia quod attinet, haec adnotasse iuvabit:

1° Ordinario licet ex informata conscientia clericum subditum suspendere ab officio sive ex parte sive etiam in totum;

2° Haec suspensio tamquam remedium extraordinarium haberi debet, proinde Ordinario eam infligere non licet, si potest sine gravi incommodo ad iuris normam in subditum procedere;

3° Ad praefatam suspensionem ferendam neque formae iudiciales neque canonicae monitiones requiruntur; satis est, si Ordinarius simplici decreto declaret se suspensionem indicere;

4° Huiusmodi decretum, nisi adiuncta aliud exigant, in scriptis dandum

b) Ratione *causae efficientis* seu *auctoris*, in suspensionem *a iure* et *ab homine*, prout per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicialem condemnatoriam fertur, aut determinata in ipsa lege statuitur (1).

c) Ratione *modi*, quo infligitur, in suspensionem *latae* et *ferendae sententiae*, secundum quod ipso facto incurritur, vel a iudice aut a Superiore infligi debet (2).

d) Ratione *obiecti*, in suspensionem *ab officio, a beneficio, ab utroque;* et ulterius, in suspensionem *a iurisdictione, a divinis, ab ordinibus, a sacris ordinibus, a certo et definito ordine exercendo, a certo et definito ordine conferendo, a certo et definito ministerio, ab ordine pontificali, a pontificalibus* (3). Quinam sint diversi effectus, suo loco dicemus.

est, designato die, mense et anno; in eo *a*) expresse dicatur suspensionem ferri ex informata conscientia seu ex causis ipsi Ordinario notis; *b*) indicetur tempus durationis poenae; *c*) clare indicentur actus qui prohibentur, si suspensio non in totum sed ex parte infligatur;

5° Ordinarius, qui fert suspensionem ex informata conscientia, debet ex peractis investigationibus tales collegisse probationes, quae eum certum reddant clericum delictum revera perpetrasse et quidem adeo grave ut eiusmodi poena sit coërcendus;

6° Iustam ac legitimam causam suspensionis ex informata conscientia praebet delictum *occultum* ad normam c. 2197.

7° Ob *notorium* delictum haec suspensio *numquam* ferri potest; ob delictum *publicum* aliquando irrogari potest, si occurrat, nempe, aliquod ex adiunctis quae sequuntur: *a*) si testes probi et graves delictum quidem Ordinario patefaciant, sed nulla ratione induci possint ut de eo testimonium in iudicio ferant, neque aliis probationibus delictum iudiciali processu evinci possit; *b*) si ipsemet clericus minis aut aliis adhibitis mediis impediat ne processus iudiciarius instituatur aut inceptus perficiatur; *c*) si processui iudiciali conficiendo ferendaeque sententiae impedimenta exoriantur ex adversis civilibus legibus aut gravi scandali periculo;

8° Suspensio valet si ex pluribus delictis unum tantum sit occultum;

9° Si clericus recursum a suspensione sibi inflicta interponat, Ordinarius ad Sedem Apostolicam mittere debet probationes quibus constet clericum delictum revera perpetrasse quod extraordinaria hac poena puniri queat. Cfr. cc. 2186-2194.

Quae indicantur sub nn. 2, 4, 5, 6 et 7, requiri putamus, congrua congruis referendo ex iuris principiis, sub nullitatis poena. V. Kober, *Die suspension*, Tübingen, 1862, p. 90 ss.; Braun, *De suspensione ex informata conscientia*, etc., 1868, p. 12 ss.; Péries, *La procedure canonique moderne*, etc., Paris, 1898, p. 192-95; Cappello, *De visitatione SS. Liminum*, etc., I, p. 438-444.

(1) Can. 2217, § 1, n. 3°.

(2) Can. cit. n. 2°.

(3) Can. 2279, § 2.

e) Ratione *subiecti* in suspensionem latam *in communitatem* seu *collegium*, uti tale, et *in singulares personas* (1).

f) Ratione *ambitus*, in *generalem* et *particularem:* illa tum officium tum beneficium complectitur ideoque privat clericum usu cuiuslibet potestatis, sive ordinis sive iurisdictionis, nec non iure percipiendi fructus beneficii (2); haec aut officium aut beneficium complectitur, et consequenter omnes et solos effectus unius alteriusve speciei comprehendit (3).

Porro suspensio *particularis* est *totalis* vel *partialis*, prout omnes effectus unius speciei complectitur, vel certos tantum ac definitos. Ex. gr. quis potest suspendi a confessionibus audiendis, non vero a Missa celebranda; vel ab uno ordine, et non ab alio; aut ab ordinibus conferendis, non autem ab iisdem exercendis (4).

g) Ratione *potestatis absolvendi*, in suspensionem *reservatam* et *non reservatam*.

h) Ratione *durationis*, in *temporariam* et *perpetuam*, ad *tempus praefinitum* vel *ad beneplacitum Superioris* etc. (5).

162. — Effectus suspensionis. — 1° Effectus suspensionis separari queunt (6), sicut de interdicto declaravimus; aliter de excommunicatione. Cfr. n. 32.

2° *Suspensio* generaliter lata omnes effectus comprehendit, i. e. tam officium quam beneficium afficit; e contra suspensio *ab officio* vel *a beneficio* omnes tantum effectus alterutrius speciei comprehendit (7).

3° Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam mere administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii (8).

(1) Suarez, disp. XXVIII, sect. 3, n. 5; D'Annibale, *l. c.* n. 387; Ball.-Palm., *l. c.* n. 494; Wernz, *l. c.* n. 205.

(2) Can. 2278, § 2 et 2280; cfr. Devoti, *l. c.*, § 3.

(3) Cfr. Suarez, disp. XXV, sect. 2, n. 11 ss.; D'Annibale, *l. c.* n. 383; Noldin, *l. c.* n. 110.

(4) Communiter auctores dividunt simpliciter in *totalem* et *partialem* (Ball.-Palm., *l. c.* n. 493, 2°; Bucceroni, *l. c.* n. 116; Pighi, *l. c.* n. 463), quae divisio et in plena suspensione et in singulis eius membris valet. At, claritatis gratia, recedendum duximus a praefata loquendi forma.

(5) Iure novo sublata est distinctio in suspensos *vitandos* et *toleratos*.

(6) Can. 2278, § 2.

(7) Can. cit.

(8) Can. 2279, § 1. Cfr. Suarez, disp. XXVI, sect. 1, n. 3, qui egregie ait : « Suspensio ab officio absolute prolata privat omni usu ordinis et iurisdictionis, ac muneris ecclesiastici, quantum persona capax est ».

4° Suspensio *a iurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae (1).

5° Suspensio *a divinis* (2) prohibet omnem actum potestatis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet (3). Ita ex. gr. Abbates et Praelati *nullius*, quamvis charactere episcopali careant, gaudent *privilegio* consecrandi calices, patenas, altaria portatilia, ecclesias etiam vel altaria immobilia, conferendi sacramentum Confirmationis, primam tonsuram et ordines minores (4).

6° Suspensio *ab ordinibus* vetat omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem (5). Quod certe intelligi debet tam

(1) Can. cit. n. 1°. — Episcopus ita suspensus nequit parochos instituere, confessarios deputare, dispensare a votis aut iuramentis, poenas irrogare etc.; contra, potest ordines conferre, pontificalia agere, consecrare altaria vel ecclesias. Item parochus valet Sacrum facere et praedicare, non autem dispensare in casibus particularibus a lege ieiunii et abstinentiae, audire confessiones, et similia; idest omnes actus exercere prohibetur, qui vel sunt propriae iurisdictionis, vel, quamvis sint ordinis, requirunt tamen iurisdictionem. Suarez, *l. c.* sect. 4, n. 16. Potestne administrare Viaticum, Extremam Unctionem et alia huiusmodi? Iure antiquo, sententia equidem probabilior negabat parochum suspensum *a iurisdictione* posse praefatos actus exercere. Cfr. D'Annibale, *l. c.* n. 381, nota 11; Lega, *l. c.* n. 159. Ratio, quia, ut ait clar. Lega (*l. c.*), « obvius conceptus iurisdictionis iure canonico adoptatus » complectitur omnem potestatem alicui officio adnexam, etiam « *potestatem* executivam et *administrativam* ». Contra, ius novum luculenter distinguit inter potestatem *iurisdictionis* et *administrationis* (can. 2279, § 1); et cum suspensio *a iurisdictione* dicatur vetare omnem actum potestatis iurisdictionis, non autem administrationis (can. cit. § 2, n. 1°), manifesto sequitur memoratos actus, utpote administrationis potius quam iurisdictionis, posse a parocho suspenso exerceri. Ex antiqua disciplina Card. D'Annibale iam monuerat: « Baptizare, aegrotos inungere etc., magis iuris nostri, vel muneris, vel officii sunt; et *lata* dumtaxat *significatione* iurisdictionis vocabulo continentur » (vol. I, n. 69).

Potestne parochus *a iurisdictione* suspensus matrimoniis assistere? Ad validitatem quod attinet, nulla habetur ratio dubitandi, attento praescripto can. 1095, § 1, n. 1°. Ad liceitatem vero quod spectat, item affirmandum putamus, quia assistentia non est actus iurisdictionis (cfr. Sanchez, *De matrimonio*, III, XIX, n. 2; Gasparri, *Tract. can. de matrimonio*, Paris, 1891, II, n. 906; Wernz, IV, n. 176). Parochus enim matrimoniis assistit tamquam *testis qualificatus*. Porro quisnam dicet actum iurisdictionis testem, qua talem, exercere?

(2) Iure antiquo disputabatur quid nomine suspensionis *a divinis* veniret. D'Annibale, *l. c.* n. 381, nota 10; Bucceroni, *l. c.*; Génicot, *l. c.* n. 674, 1°; Noldin, *l. c.* n. 110, 2.

(3) Can. cit. n, 2°.

(4) Cc. 294, § 2, 323, § 2.

(5) Can. 2279, § 1, n. 5°.

de ordinibus exercendis quam de iisdem conferendis. Comprehendunturne etiam ordines minores? Affirmative, procul dubio; sane (cfr. n. 4°) canon apertissimis verbis distinguit inter *ordines* simpliciter, et *ordines sacros*. Proinde, debita cum reverentia, recedendum omnino nunc est a doctrina clariss. D'Annibale, qui ait: « *Ab ordine:* idest ab ordinibus vel conferendis vel exercendis... Haec hodie in *ordines minores* non cadit, nam et a laicis exerceri solent » (1). At clericus suspensus non prohibetur functiones ordinum minorum exercere ut laicus.

7° Suspensio *a sacris ordinibus* vetat omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem in sacris (2). Ideo non comprehenduntur ordines minores, neque iura beneficialia, neque exercitium iurisdictionis, dummodo haec sine potestate ordinis exerceri queat. Prohibitio, ut supra fuit animadversum, respicit ordines sive exercendos sive conferendos (3).

8° Suspensio *a certo et definito ordine exercendo* vetat omnem actum ordinis designati; suspensus autem prohibetur insuper eumdem ordinem conferre et superiorem recipere receptumque post suspensionem exercere (4). Hoc praescripto sapienter dirimitur controversia, quae olim erat apud auctores (5). Itaque, ut rem explicemus exemplo, diaconus *suspensus ab ordine diaconatus exercendo*, nedum potest in Missa sollemni ministrum agere, i. e. diaconatum exercere, sed neque presbyteratum recipere, et, si forte illum receperit, eum exercere prohibetur. Si agitur de Episcopo seu de Praelato, cui privilegium sit ordines conferendi, suspensio, in casu, secumfert etiam prohibitionem ne ordo *conferatur* (6).

9° Suspensio *a certo et definito ordine conferendo* vetat ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem (7). Quocirca Episcopus suspensus, puta, a diaconatu conferendo, potest conferre sive subdiaconatum sive presbyteratum (8).

10° Suspensio *a certo et definito ministerio*, ex. gr. audiendi confessiones, vel *officio*, ex. gr. cum cura animarum, prohibet omnem actum eiusdem ministerii vel officii (9). Hinc parochus suspensus *ab officio* nullum actum ministerii pastoralis exercere potest,

(1) *Loc. cit.* n. 381.
(2) Can. cit. n. 4°.
(3) Suarez, disp. XXVI, sect. 4, n. 9.
(4) Can. cit. n. 5°.
(5) Cfr. Schmalzgr., *l. c.* n. 293; D'Annibale, *l. c.* n. 381, nota 6; Lega, *l. c.* n. 158; Bucceroni, *l. c.*
(6) Cfr. Suarez, *l. c.* n. 8, 10 ss.
(7) Can. cit. n. 6°.
(8) Suarez, *l. c.* n. 10 ss.
(9) Can. cit. n. 7°.

ex. gr. baptizare sollemniter, matrimoniis adsistere, audire confessiones, praedicare etc.; neque, uti remur, valet dispensare parochianos a lege communi ab observantia festorum aut abstinentiae vel ieiunii ad normam can. 1245, § 1, nam hac facultate nonnisi ratione *officii parochialis* gaudet; contra, potest beneficialia bona administrare et eorumdem fructus percipere, dummodo per alium idoneum sacerdotem suis obligationibus satisfaciat.

11° Suspensio *ab ordine pontificali* vetat omnem actum potestatis ordinis pontificalis (1). Itaque Episcopus sic suspensus prohibetur conferre ordines sive maiores sive minores, imo et tonsuram; at non prohibetur Sacrum facere, excipere confessiones, instituere parochos, approbare confessarios, conferre beneficia.

12° Suspensio *a pontificalibus* prohibet exercitium actuum pontificalium, ad normam can. 337, § 2, nempe sacrarum functionum, quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram (2). Porro eiusmodi sacrae functiones sunt: *a*) Missa pontificalis et Vesperae pontificales; *b*) Missa sollemnis, Episcopo assistente cum pluviali et mitra, iuxta *Caerem.Ep.* , lib. II, cap. IX. n. 4 ss.; *c*) collatio ordinum, tonsura non excepta (3); *d*) consecratio electi in Episcopum; *e*) benedictio Abbatis; *f*) benedictio et consecratio virginum; *g*) benedictio et coronatio regum; *h*) benedictio seu consecratio campanae; *l*) consecratio calicis et patenae, altaris sive portatilis sive immobilis, atque ecclesiae; *m*) benedictio et impositio primarii lapidis pro ecclesia aedificanda, benedictio coemeterii, et reconciliatio ecclesiae et coemeterii (4), si sollemni ritu in *Pontificali R.* descripto haec peraguntur; idem dicas de Confirmatione, si administretur sollemniter, i. e. cum baculo et mitra; secus, non (cfr. can. 783, § 2).

13° Suspensio *a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat. Si, quamvis censura obstet, beneficiarius fructus percipiat, eosdem restituere debet et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus (5). Porro fructus, quos suspensus

(1) Can. 2279, n. 8°.

(2) Can. 2279, n. 9°.

(3) Confirmatio privatim etiam sine baculo et mitra administrari potest; ideo, stricte saltem loquendo, non huc pertinet.

(4) Omittimus quasdam alias benedictiones in Pontificali Romano memoratas, ex. gr. benedictionem novi militis, novae crucis, crucis pectoralis etc., tum quia insignia pontificalia necessario non requirunt, tum quia partim in desuetudinem abierunt.

(5) Can. 2280.

non percipit, erogandi sunt in favorem ecclesiae, ad quam pertinet beneficium.

Nomine *fructuum* beneficii veniunt omnes reditus temporales ex beneficio (1); ideo census, decimae, primitiae; item certae et voluntariae fidelium oblationes, ac iura, ut dicitur, stolae; atque etiam chorales distributiones (2).

Beneficiarius suspensus amittit *ipso iure* fructus, quin sententia Superioris opus sit, at deductis impensis, vectigalibus, et oneribus impletis vel adimplendis, quae beneficio accedunt extrinsecus (3).

Suspensio *a beneficio* non afficit *a*) *vicarias paroeciales* in perpetuum non erectas; *b*) *cappellanias laicales*, quae scilicet erectae non sunt a competente auctoritate ecclesiastica; *c*) *coadiutorias* cum vel sine futura successione; *d*) *pensiones personales; e*) *commendam temporariam*, cuius nomine venit concessio redituum alicuius ecclesiae aut monasterii alicui facta ita ut, eo deficiente, reditus ipsi ad ecclesiam vel monasterium revertantur (4).

14° *Suspensio* generaliter lata, et suspensio *ab officio* aut *a beneficio* afficit *omnia officia* aut *beneficia* quae clericus habet *in dioecesi Superioris suspendentis*, nisi aliud appareat; non autem officia et beneficia quae forte clericus habeat in alia dioecesi; nam Ordinarius loci, cuius profecto iurisdictio circumscribitur dioecesis limitibus, nequit potestatem exercere extra suum territorium, ideoque suspendere clericum a determinato officio vel beneficio quod in aliena dioecesi reperiatur. Id intelligas de suspensione vel *ab homine*, aut latae sententiae *iure particulari* inflicta. Etenim suspensio *latae sententiae*, *iure communi* irrogata, afficit omnia officia aut beneficia in quacumque dioecesi possideantur (5).

(1) Suarez, disp. XXVII, sect. 1, n. 2 ss.; D'Annibale, *l. c.* n. 382; Ball.-Palm., *l. c.* n. 500.

(2) Sententia auctorum (D'Annibale, *l. c.;* Ball.-Palm., *l. c.;* Pighi, *l. c.* n. 470, 2° etc.), qui docent suspensum *a beneficio* non amittere iura stolae et chorales distributiones, licet iure antiquo vere probabilis et forte probabilior, hodie teneri amplius non potest, attento praescripto can. 1410.

(3) Suarez, disp. XIII, sect. 2, n. 24; D'Annibale, *l. c.;* Bucceroni, *l. c.*

(4) Cfr. can. 1412. — Aliter ac iure antiquo (D'Annibale, *l. c.;* Ball.-Palm., *l. c.;* Lega, *l. c.* n. 164; Wernz, *l. c.* n. 211), suspensio *a beneficio* non privat clericum iure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis *ipsam* quoque *administrationem* expresse auferat; quo in casu beneficiarius prohibetur bona locare, fructus exigere, iudicio agere etc.

(5) Cc. 2281, 2282. — Num suspensio afficeret etiam beneficia extra dioecesim possessa, olim controversia erat a theologis et canonistis valde agitata. Cfr. Suarez, disp. XXVI, sect. 1, n. 17 ss.; S. Alph., *l. c.* n. 316, dub. 2; Ball.-Palm., *l. c.* n. 501; D'Annibale, *l. c.;* Lega, *l. c.;* Wernz, *l. c.* n. 208, nota 405.

15° Suspensio ab ordine tenet *ubique* clericum suspensum; contra, suspensio a iurisdictione extra territorium eam ferentis non tenet (1); nam potestas ordinis statui personae, iurisdictio officio aut mandato cohaeret (2).

16° Suspensus *a*) prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi; *b*) nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia; et quidem, sedulo animadvertas, *sub poena nullitatis* vetatur suspensus *post sententiam declaratoriam* vel *condemnatoriam* omnes memoratos actus ponere; *c*) nequit promoveri ad ordines; *d*) post dictam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, nullam gratiam pontificiam *valide* consequi potest, nisi in pontificio rescripto mentio de suspensione fiat (3).

17° Suspensus generaliter, item suspensus *ab officio*, *a divinis*, *ab ordinibus*, nequit licite Sacramenta et Sacramentalia ministrare. Fideles vero possunt ex quavis iusta causa Sacramenta et Sacramentalia petere ab huiusmodi suspenso, maxime si desint alii ministri; quo in casu suspensus sic requisitus potest eadem licite ministrare quin teneatur causam a requirente percontari; at, si agitur de suspenso per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, fideles in solo mortis periculo possunt ab eo petere absolutionem sacramentalem et, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia. Cfr. n. 37, 1° (4).

18° Si censura suspensionis vetet actum iurisdictionis in foro seu interno seu externo, actus est invalidus, ex. gr. absolutio sacramentalis, *a*) si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut *b*) si expresse Superior declaret se ipsam potestatem iurisdictionis revocare; secus actus est illicitus tantum, nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam can. 2261, § 2, ut modo (n. 17°) diximus (5).

19° Si communitas seu collegium clericorum, ex. gr. Capitulum, delictum commiserit (6), suspensio ferri potest *a*) vel *in singulas personas delinquentes*, vel *b*) *in communitatem*, *uti talem*, vel *c*) *in personas delinquentes* simul *et communitatem* (7). In priori

(1) Cfr. cc. 2281, 2282; Bonacina, disp. III, p. 3. n. 7; D'Annibale, *l. c.* n. 381; Bucceroni, *l. c.*; Ball.-Palm., *l. c.* n. 502; Wernz, *l. c.* n. 208.

(2) Suarez, *l. c.* n. 9 ss.

(3) Cc. 2265, 2283.

(4) Cc. 2261, 2284.

(5) Can. cit. 2284.

(6) Ad causam seu delictum quod attinet, huc spectant, congrua congruis referendo, quae de interdicto tradidimus (n. 150). Cfr. Suarez, disp. XXVIII, sect. 4.

(7) Can. 2285, § 1. Suarez, disp. XXVIII, sect. 3, n. 1 ss.: S. Alph., *l. c.* n. 317; D'Annibale, *l. c.* n. 387.

casu, singulae personae delinquentes subiacent suspensioni, vel *ab officio*, vel *a divinis*, vel *ab ordinibus* etc., prout in sententia vel decreto, quo suspensio irrogatur, expresse edicitur; quare huc spectant quae de variis suspensionis effectibus fuse tradidimus (1).

In altero casu, communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium quae ipsi, uti communitati, competunt (2); ex. gr. Capitulum ita suspensum nequit cogere comitia, ferre suffragia, beneficia conferre, eligere, vacua sede, Vicarium Capitularem etc. (3). Etiam ad communitatem seu collegium quod attinet, suspensionis effectus separari queunt; quare, puta, Capitulum suspendi potest *ab officio*, vel *a beneficio*, aut *a divinis*. Si primum, Capitulum nequit exercere iura spiritualia quae ipsi, tamquam corpori morali, competunt ratione muneris seu officii; si alterum, suspensio intelligenda est tantum de beneficiis, quae omnibus communia sunt; si tertium, suspensio intelligi debet de iis dumtaxat quae in communi fiunt, ut est Missa conventualis, recitatio divini officii in choro etc. (4).

Nullum dubium quin innocentes quoque, utpote pars totius, subsint suspensioni in communitatem latae.

In tertio casu, effectus cumulantur (5); scil. communitas, qua talis, prohibetur exercitio iurium spiritualium, ut modo dictum fuit, et *singuli* clerici, dummodo sint *rei*, manent suspensi; innocentes vero nullatenus suspensione tenentur (6), nisi forte, ex iure naturali, ad scandalum vitandum (7).

163. — Quomodo cesset suspensio. — 1° Suspensio irrogata per modum poenae vindicativae *ad tempus determinatum*, ex. gr. ad mensem, ad annum etc., cessat ipso facto *temporis lapsu* (8). Violatio suspensionis forte commissa neque interrumpit neque impedit lapsum temporis (9).

(1) Can. cit. § 2.

(2) Can. cit. § 3.

(3) Suarez, *l. c.* n. 8; Berardi, *l. c;* D'Annibale, *l. c.* nota 65; Wernz, *l. c.* n. 205.

(4) Cfr. Suarez, disp. XXVII, sect. 2, n. 3; D'Annibale, *l. c.;* Bucceroni, *l. c.* n. 112.

(5) Can. cit. § 4.

(6) Suarez, disp. XXVIII, sect. 3, n. 6.

(7) Suarez, disp. IV, sect. 7, n. 15 ss.; S. Alph. *l. c.* n. 317; Ball.-Palm., *l. c.* n. 519. — Suspensio irrogata in aliquem clericorum coetum (ex. gr. in omnes clericos alicuius oppidi vel civitatis), ex quibus nulla persona moralis coalescit, specialis est, et in singulos distributive sumptos (nempe reos) lata intelligitur. Suarez, disp. XXVIII, sect. 3, n. 7; D'Annibale, *l. c.* n. 387, nota 63.

(8) Can. 2289; Suarez, disp. XXIX, sect. 1; Devoti, *l. c.* § 4.

(9) Suarez, *l. c.* n. 12; Schmalzgr., *l. c.* n. 312.

2° Inflicta *sub conditione*, nisi aliud constet ex sententia vel decreto Superioris, illico cessat *post impletam conditionem*, quin opus sit absolutione (1).

3° Lata *in perpetuum* vel *ad beneplacitum Superioris*, cum sit poena vindicativa, nonnisi *dispensatione* auferri potest, ab eo concessa qui suspensionem irrogavit, vel a competente Superiore aut successore, vel ab eo cui dispensandi potestas sit commissa (2). Etiam suspensio inflicta *ad tempus praefinitum* potest, ante lapsum temporis, dispensatione tolli. Est enim poena vindicativa, non autem censura, ut supra declaratum fuit (3).

4° Suspensio *in communitatem* seu *collegium* irrogata, in foro tantum externo relaxari potest, et ab eo dumtaxat qui habet iurisdictionem in foro externo (4). Cessat ipso facto, communitate soluta aut extincta.

5° Suspensio quae rationem habet *censurae* nec temporis lapsu nec rei emendatione tollitur, sed solum absolutione. Ad potestatem et modum absolvendi quod spectat, sive suspensio sit *a iure* sive *ab homine*, sive *reservata* sive *non reservata*, revocanda sunt quae de censuris in genere iam sunt exposita (n. 28 ss.) - (5).

Articulus II.

De suspensionibus Sedi Apostolicae reservatis.

I.

« *Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can.* 953, *ipso*

(1) Wernz, *l. c.* n. 214.

(2) Cc. 2236, § 1, 2289.

(3) Cfr. can. 2298, n. 2°; Suarez, *l. c.* n. 13 ss.

(4) D'Annibale, *l. c.* n. 387.

(5) Iure antiquo disputabatur utrum confessarius in articulo mortis absolvere posset a suspensionibus latis ab homine. Negabat, inter alios, Lugo (*De Poenit.* disp. XX, n. 203), quae sententia *verior* clariss. D'Annibale (*Summula*, III, n. 342, nota 39) videbatur. Ex disciplina nunc vigente, attentis praesertim cc. 882, 2252, affirmativa sententia est omnino tenenda, cum nulla restrictio aut limitatio in iure habeatur.

Quoad suspensionem vero quae habet rationem *poenae vindicativae*, quomodo in casibus occultis urgentioribus sit consulendum poenitenti, vide p. ss.

iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit » (can. 2370).

164. — Episcopus, quicumque is sit, seu residentialis seu titularis, non tamen Cardinalis S. R. E. Num etiam Episcopus Ecclesiae orientalis? Negandum, ex praescripto can. 1 (1).

Aliquem consecrans in Episcopum. — Agitur de omni et sola consecratione episcopali, et quidem, heic, de Episcopo consecratore; non vero de quavis alia ordinatione.

Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes. — Episcopus consecrator, uti notum est, debet alios duos Episcopos adhibere, qui sibi in consecratione assistant, nisi hac super re a Sede Apostolica dispensatum fuerit (2). Sive Episcopi sive presbyteri assistentes suspensionem contrahunt, dummodo noverint mandatum apostolicum deesse.

165. — Qui consecrationem recipit, nempe qui valide consecratur in Episcopum, etiam presbyter latinus forte ab Episcopo ritus orientalis consecratus.

Sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953. — Ita sonat cit. praescriptum: « Consecratio episcopalis reservatur Romano Pontifici, ita ut nulli Episcopo liceat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato ». Iure Decretalium consecratio Episcopi suffraganei pertinebat ad metropolitanum (3); at, postquam collatio ecclesiarum cathedralium fuit reservata Sedi Apostolicae, consequens fuit ut etiam consecratio Episcoporum R. Pontifici reservaretur (4). Quoad regiones iuri com-

(1) Consecratio episcopalis pro Ecclesia Orientali non reservatur Romano Pontifici. Suffraganeum consecrat Metropolita, aut Episcopus ab eodem delegatus: Metropolitam vero Patriarcha aut Episcopus ab eodem delegatus. Gasparri, *Tract. canon. de sacra Ordinatione*, Parisiis, 1894, vol. II, n. 797.

(2) Cfr. can. 954. — Consecratio episcopalis, sine Episcopis assistentibus facta, foret valida quidem, sed illicita. Bened. XIV, *De Syn. dioec.* lib. XIII, cap. 13, n. 2 s.; S. C. de Prop. fide, 18 maii 1793. S. Sedes quandoque indulget ut episcopalis consecratio fiat ab uno Episcopo, duobus assistentibus sacerdotibus. In Ecclesia Latina Episcopi assistentes sunt probabiliter comministri cum Episcopo consecratore, quia una simul cum eodem ipsi manus imponunt super caput electi, et una simul pronuntiant verba: *Accipe Spiritum Sanctum* etc. E contra in Ecclesia Orientali Episcopi assistentes sunt *meri assistentes* vel adiuvantes, quia ipsi non ponunt materiam et formam consecrationis episcopalis. V. Gasparri, *l. c.* nn. 1080, 1090, 1109.

(3) Cfr. cc. 6 et 7 *de temp. ordin.* etc. X (I, II).

(4) In rubrica Pontificalis Romani, *De consecratione electi in episcopum*, legitur: « Nemo consecrari debet, nisi prius constet consecratori de commis-

muni obnoxias, apostolicum mandatum traditur una cum decreto provisionis ecclesiae cathedralis a S. C. Consistoriali.

Suspensi sunt. — Nullum dubium quin sermo sit de *suspensione* generaliter lata, quae proinde omnes effectus comprehendit (n. 162, 2°).

Donec Sedes Apostolica eos dispensaverit. — Suspensio haec non est censura, sed poena vindicativa; ideo dicitur « *donec... dispensaverit* ». Censura enim, ut alibi declaratum fuit (n. 28, 163), absolutione aufertur, poena vindicativa, contra, vel expiatione vel dispensatione (1).

II.

« *Clerici... qui per simoniam ad ordines scienter promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint... suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam* » (can. 2371).

166. — Clerici, scil. omnes (2), praeter Episcopos, per primam saltem tonsuram divinis ministeriis mancipati.

Qui per simoniam. — Recolantur quae alibi tradidimus (n. 122), ut probe cognoscatur num vere crimen simoniae adsit necne. Putamus, ex variis canonum praescriptis, heic agi de simonia iuris divini tantum, et non iuris ecclesiastici.

Ad ordines, sive maiores sive minores. Suspensio haud contrahitur nisi effectu secuto.

Scienter; haec vox refertur nedum ad verba « *promoti fuerint* », verum etiam ad verba « *ministraverint* » et « *receperint* ». Quaevis ignorantia sive facti sive legis sive etiam solius poenae excusat, quamvis crassa et supina; non tamen affectata.

Promoti fuerint etc. — Triplex actio suspensione coërcetur, nimirum simoniaca 1° promotio ad ordines, 2° administratio Sacramentorum, 3° eorumdem receptio.

Sedulo animadvertas velimus, non haberi simoniam, cum temporale datur non pro re spirituali, sed *eius occasione ex iusto*

sione consecrandi, sive per Litteras Apostolicas, si sit extra Curiam, sive per commissionem vivae vocis oraculo, a Summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis ».

(1) Cc. 2236, § 1, 2289.

(2) Cfr. Bonacina, disp. II, quaest. III, punct. XXIV; Thesaurus, v. *Ordines;* Kober, *l. c.* p. 200 ss.

titulo, a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito (1). Itaque temporale in casu non datur tamquam merces seu pretium operis spiritualis, cum illud nullius aestimationis sit ac valoris, sed tamquam merces sustentationis, spectata qualitate personae laborantis in alterius gratiam. Qui titulus, i. e. congrua sustentatio, ut iustus seu legitimus sit, opus omnino est, a sacris canonibus vel a legitima consuetudine fuerit recognitus (2).

Si minister Ecclesiae emolumenta exigat seu petat ultra taxam lege vel consuetudine recognitam, committeretne simoniam? Plures affirmant, ut Schmalzgr. (3), Reiffenst. (4), Ball.-Palm. (5), quia, aiunt, deficiente *iusto* titulo laboris extrinseci vel sustentationis, excessus exigitur tamquam pretium ministerii sacri. Alii, v. gr. Gury (6), D'Annibale (7), Lehmkuhl (8), Noldin (9), Pighi (10), negant, nisi habeatur prava voluntas accipiendi temporale pro spirituali. Quae benignior sententia, cum versemur in odiosis, tuto retineri potest, ad hanc suspensionem quod attinet. At, exclusa etiam prava voluntate formaliter simoniaca, dubitandum non est quin sacerdos stipendium exigens *iusto maius*, seu ultra taxam dioecesanam, peccet contra obedientiam et iustitiam (11).

Si clerici simoniace administrent vel recipiant *Sacramentalia*, certe suspensionem non incurrunt, quia hic can. loquitur tantum

(1) Can. 730; S. Thom. in 4, D. 26, q. 3, a. 10; Croix, III, I, n. 93; Lessius, *De iustitia et iure*, II, 35, n. 52; S. Alph. III, n. 55; Laymann, lib. IV, a. 10, c. 8, n. 42; Ball.-Palm., tract. VI, sect. I, n. 280 ss.; D'Annibale, III, n. 403 ss.

(2) « Pro administratione Sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigat aut petat, praeter oblationes de quibus in can. 1507 » (can. 736). Memoratus can. 1507 ita se habet : « Salvo praescripto can. 1056 et can. 1234, praefinire taxas pro variis actibus iurisdictionis voluntariae vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel *occasione ministrationis Sacramentorum* vel Sacramentalium, in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum provinciae; sed nulla vi praefinitio eiusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit ».

Can. 1056 respicit dispensationes matrimoniales, can. 1234 indicem funeralium taxarum seu eleemosynarum. Quocirca stricte non huc spectant.

(3) Lib. V, tit. 3, n. 100.

(4) Lib. V, tit. 3, n. 200.

(5) *Loc. cit.* n. 282.

(6) *Op. cit.*, I, n. 292.

(7) *Loc. cit.* n. 405.

(8) *Op. cit.*, I, n. 534.

(9) *Op. cit.*, II, n. 198.

(10) *Op. cit.*, III, n. 88, q. 4.

(11) Génicot, I, n. 287, III; Noldin, *l. c.*

de *Sacramentorum* administratione et receptione. Haec suspensio est vera ac propria censura, et, cum sit generaliter lata, omnes effectus complectitur.

III.

« *Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur* » (can. 2372).

167. — Suspensionem a divinis. — Est censura, non autem poena vindicativa, ut manifesto liquet ex traditis alibi. Ad effectus quod attinet suspensionis *a divinis*, vide n. 162, 5°.

Qui recipere ordines; intellige sive maiores seu sacros sive minores. Comprehenditurne etiam tonsura? In iure antiquo prima tonsura non veniebat nomine *ordinis* vel *ordinationis* etc. (1); ex disciplina nunc vigente aliter dicendum, nam can. 950 haec statuit: « In iure verba *ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio*, comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, ordines enumeratos in can. 949 et *ipsam primam tonsuram*, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur ». At in casu nostro fit locus praecise exceptioni sive *ex natura rei*, sive *ex contextu verborum*, quatenus prima tantum tonsura insignitus nequit reipsa suspendi, cum nulla ordinis potestate ex recepta tonsura gaudeat; eo vel magis quod suspensio, de qua hic agitur, est *a divinis*. Proinde censuram hanc non contrahit qui primam tonsuram dumtaxat recipiat ab excommunicato, suspenso etc.

Praesumunt. — Ad suspensionem incurrendam, oportet quis cognoscat 1° Titium esse excommunicatum vel suspensum aut interdictum, et quidem per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam; vel 2° esse apostatam aut haereticum aut schismaticum notorium; 3° ordinationem vetari sub hac censura. Excusat ignorantia etiam crassa et supina atque metus, etsi levis.

Ab excommunicato vel suspenso etc. — Non sufficit ut quis sit excommunicatus vel suspensus aut interdictus, sed omnino opus est *sententia declaratoria* vel *condemnatoria intercesserit;* item non

(1) Gasparri, *op. cit.*, I, n. 28; Ball.-Palm., tract. X, sect. VII, n. 5; Noldin, III, n. 465; Bucceroni, *l. c.* n. 100 s.

sufficit ut quis sit apostata, haereticus etc., sed requiritur, *notorius* sit, seu publice constet de apostasia vel haeresi aut schismate.

168. — Qui vero bona fide etc. — Uti palam est, hic non agitur de censura, verum de prohibitione dumtaxat exercendi ordinem susceptum. Verba « *donec dispensetur* » manifesto significant ex iuris canonici principiis dispensationem haud esse Apostolicae Sedi reservatam, sed Ordinario proprio clerici sic ordinati ius competere eam concedendi.

IV.

« *Si vero dimittatur* (professus qui vota perpetua emisit) *ob delicta minora iis de quibus in can.* 670, *ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit* » (can. 671, 1°).

Si vero dimittatur. — Agitur de professo dimisso, qui vota perpetua nuncupaverit quique clericus *in sacris* sit, non autem de eo qui in minoribus tantum ordinibus sit constitutus; nam hic, a religione dimissus, eo ipso reducitur ad statum laicalem (can. 669, § 2). Non solum oportet, sententia dimissionis sit iusta ac legitime lata, i. e. ad normam cc. 654-668, sed praeterea opus omnino est, ut fuerit confirmata a S. Congregatione negotiis religiosorum sodalium praeposita, iuxta praescriptum can. 666; secus enim exsecutioni mandari nequit. Qua exsecutione nondum facta, sodalis religiosus non potest dici dimissus, nec ideo hac poena tenetur.

Ob delicta minora iis de quibus in can. 670 (1). — Delicta *maiora*, quae *minoribus* heic opponuntur, sunt sequentia : *a*) si clericus in sacris sit publicus apostata a fide catholica vel haereticus aut schismaticus (cc. 646, § 1; 2314, § 1, 2°); *b*) si fugam arripuerit

(1) Can. 670 haec habet : « Clericus in sacris qui aliquod delictum commisit de quo in can. 646, aut dimissus est ob delictum quod iure communi punitur infamia iuris vel depositione vel degradatione, perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum ».

Verba « *punitur infamia iuris* » intelligenda sunt de poena sive *latae* sive *ferendae sententiae;* et valde miramur quod recentissimus quidam auctor expresse docuerit, heic agi tantum de infamia iuris *ipso facto* incurrenda. Eiusmodi interpretatio, debita cum reverentia dictum id volumus, est prorsus erronea, ut liquet ex ipsa voce « *punitur* », attento praescripto can. 2217, § 2 (cfr. n. 3), et ex aliis verbis scil. « punitur..... *depositione vel degradatione* ». Porro nullibi in iure depositio vel degradatio *ipso facto* incurrenda statuitur ; ergo si vocabulum « *punitur* », quoad depositionem ac degradationem, poenam designat ferendae sententiae, a paritate eamdem poenam designat etiam quoad infamiam iuris.

cum muliere (can. 646, § 1); *c*) si attentaverit aut contraxerit matrimonium aut etiam vinculum solum, quod vocant, civile (1); *d*) si species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit (2); *e*) si cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit (3); *f*) si violentas manus in personam R. Pontificis iniecerit (4); *g*) si violentas manus iniecerit in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati R. Pontificis (5); *h*) si duellum perpetraverit aut patrinus duellantium fuerit (6); *l*) si delictum admiserit contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu (sive lineae rectae sive lineae collateralis) exercuerit (7); *m*) si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit (8); *n*) si abortum procuraverit, effectu secuto (9); *o*) si homicidium culpabile commiserit (10); *p*) si beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit vel, ad ea electus, praesentatus, nominatus in eorumdem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure sunt ostendendae (11); *q*) si in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione, persistat, aut ne ea dimittat, moras illegitime nectat (12); *r*) si delictum commiserit raptus impuberum alterutrius sexus, venditionis hominis in servitutem vel alium malum finem, usurae, rapinae, furti qualificati vel non qualificati in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis, gravis mutilationis vel vulnerationis aut violentiae (13); *s*) si crimen sollicitationis ad turpia, de quo alibi diximus (cfr. n. 102 et 141) patraverit; at solum in casibus gravioribus (14).

(1) Can. cit. 2388, § 1.
(2) Can. 2320.
(3) Can. 2328.
(4) Can. 2343, § 1, 2°.
(5) Can. cit. § 2, 2°.
(6) Can. 2351, § 2.
(7) Can. 2359, § 2.
(8) Can. 2322, § 1.
(9) Can. 2350, § 1.
(10) Can. 2354, § 2.
(11) Can. 2394, 1°.
(12) Can. 2401.
(13) Can. 2254, § 2.
(14) Can. 2368, § 1. Quoad sodales religiosos, qui non deferunt peculiarem habitum, sed communem ecclesiasticum gestant ac tonsuram clericalem, aliud

Clericus in sacris, qui unum aliudve ex his delictis patraverit, perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum, seu ad statum laicalem reducitur.

Ipso facto suspensus manet; ubi primum scil. sententia, a S. Sede confirmata, exsecutioni mandetur, seu reipsa sodalis religiosus sit dimissus. Haec suspensio est generaliter lata; quocirca omnes effectus secumfert (vide n. 162, 2°).

Donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit. — Haec verba clare significant agi de suspensione, quae habet rationem censurae, et non poenae vindicativae, eamque esse reservatam Sedi Apostolicae, i. e. S. Congregationi negotiis religiosorum sodalium praepositae.

V.

« *In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt:*

« 1° *Qui contra praescriptum can.* 955, *alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint* (1);

« 2° *Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum can.* 993, 994;

« 3° *Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can.* 974, § 1, n. 7;

« 4° *Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in can.* 966 » (can. 2373).

Haec suspensio non est censura, sed poena vindicativa.

169. — Qui contra praescriptum can. 955 etc. — « Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis ». Ita mem. can. § 1. Eae dicuntur litterae dimissoriae, quibus proprius Ordinarius alieno Episcopo dat licentiam suum subditum promovendi, una simul de eius idoneitate iudicium fe-

delictum, congrua congruis referendo, adiici potest supra memoratis, delictum scil. in can. 2379 expressum. Crimen vero, de quo in can. 2356, huc non spectat, uti manifestum est, quamvis infamia iuris puniatur.

(1) Const. « *Apost. Sedis* » n. 41.

rens (1). Quod attinet ad ordinationem saecularium, Episcopus *proprius* « est tantum Episcopus dioecesis in qua promovendus habeat domicilium una cum origine aut simplex domicilium sine origine; sed in hoc altero casu promovendus debet animum in dioecesi perpetuo manendi iureiurando firmare, nisi agatur de promovendo ad ordines clerico qui dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus est, vel de promovendo alumno, qui servitio alius dioecesis destinatur ad normam can. 969, § 2, vel de promovendo religioso professo, de quo in can 964, n. 4 » (2).

Litteras dimissorias *pro saecularibus* dare possunt, quamdiu iurisdictionem in territorio retinent: 1° Episcopus proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime ceperit, licet nondum sit consecratus; 2° Vicarius Generalis, ex speciali Episcopi mandato; 3° de Capituli consensu Vicarius Capitularius post annum a sede vacante; intra annum solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum; 4° Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*, licet episcopali charactere careant, etiam ad ordines maiores (3).

Litteras dimissorias *pro religiosis exemptis* dat proprius Superior maior (Moderator supremus, Abbas monasterii sui iuris, Provincialis etc.); *pro religiosis non exemptis* concedit Ordinarius loci, cuius iurisdictioni subest sodalis religiosus ordinandus (4). Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedente vel ab eius successore limitari aut revocari, sed semel concessae non extinguuntur resoluto iure dantis (5).

Itaque Episcopus, qui alienum subditum ordinat sine praefatis litteris dimissoriis, suspensione plectitur. Attento praescripto can. 950 (cfr. n. 167), certe huic poenae subest, etiamsi primam tantum tonsuram contulerit; e contra, suspensionem effugit, si ex licentia *oretenus* data ab Episcopo proprio, quin litterae dimissoriae scripto confectae sint, subditum alienum ordinaverit.

170. — Qui subditum proprium... ordinaverint contra praescriptum cc. 993, 994, scil. qui *sine litteris testimonialibus*, vel, his deficientibus, *sine iuramento suppletorio*, proprium subditum ordinaverint. Quae modo diximus de tonsura, huc quoque spectant.

(1. Cappello, *De visit. SS. Liminum* etc., I, p. 258; Gasparri, *op. cit.*, II n. 863.

(2) Can. 956.

(3) Can. 958.

(4) Can. 964, n. 2°, 4°.

(5) Can. 963; cfr. Cappello, *l. c.* p. 266, n. 13.

Litterae testimoniales eae dicuntur, quibus Ordinarius authenticam fidem facit de ordinandi natalibus, aetate, vita, moribus, et, si agitur de ascensu ad altiores ordines, etiam de ordinibus iam susceptis (1).

Can. 993 statuit: « Promovendi saeculares aut religiosi qui, quod pertinet ad ordinationem, saecularium iure reguntur, afferant:... 4° *Testimoniales litteras* Ordinarii loci in quo promovendus tantum temporis moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit... ». Can. 994 rem ita distincte et perspicue declarat: « § 1. Tempus quo promovendus potuit canonicum impedimentum contrahere est, regulariter, pro *militibus* trimestre (2), *pro aliis* semestre post pubertatem (3); sed Episcopus ordinans pro sua prudentia exigere potest litteras testimoniales etiam ob brevius commorationis tempus, et ob tempus quoque quod pubertatem antecessit. § 2. Si loci Ordinarius neque per se neque per alios promovendum satis noverit, ut testari possit eum, tempore quo in suo territorio moratus est, nullum canonicum impedimentum contraxisse, aut si promovendus per tot dioeceses vagatus sit ut impossibile vel nimis difficile evadat omnes litteras testimoniales exquirere, provideat Ordinarius saltem per iuramentum suppletorium a promovendo praestandum. § 3. Si post obtentas litteras testimoniales et ante peractam ordinationem, promovendus praedicto temporis spatio in eodem territorio rursus moratus sit, novae litterae testimoniales Ordinarii loci necessariae sunt ».

Proinde duplici in casu opus est iuramento suppletorio, nempe 1° si loci Ordinarius neque per se neque per alios candidatum satis noverit, ut possit testari eum impedimentum canonicum haud contraxisse, tempore quo in suo territorio est commoratus; 2° si candidatus per tot dioeceses vagatus sit ut impossibile vel nimis difficile fiat a singulis locorum Ordinariis testimoniales litteras exquirere (4).

(1) Cfr. Const. Innocentii XII « *Speculatores* », 4 nov. 1694; Gasparri, *l. c.* n. 706 ss.: Cappello, *l. c.* p. 270; Ojetti, *op. cit.* v. *Testimoniales.*

(2) Ex decreto S. C. super discipl. regul. 27 nov. 1892, *trimestre* erat tempus iam praefinitum quoad sodales religiosos; et ex decreto S. C. Concilii 9 sept. 1893, etiam quoad clericos saeculares.

(3) Iure antiquo gravis controversia erat apud auctores. Alii docebant tempus commorationis supputandum esse statim post septennium completum; alii, post pubertatem. Cfr. D'Annibale, *Comm. in Const. « Apost. Sedis »*, n. 147; Gasparri, *l. c.* n. 731; Lucidi, *op. cit.*, I, p. 164; Cappello, *l. c.* p. 271.

(4) S. C. Concilii 26 ian. 1895 decreverat: « pro clericis ordinandis iam militiae addictis, sub poena a Constitutione « *Apost. Sedis* » comminata, requiri litteras testimoniales Ordinarii, in cuius dioecesi per trimestre commorati fuerint; et quatenus Ordinarii litterae plenum testimonium non reddant,

Episcopus non incurrit suspensionem, si litteras testimoniales, *licet forte necessarias ob adiuncta specialia*, haud exigat ob brevius (trimestri aut semestri) commorationis tempus, vel ob tempus quod pubertatem antecessit. Id colligitur ex verbis can. 994, § 1 : « Episcopus ordinans *pro sua prudentia* exigere potest... ». Litterae testimoniales non sunt confundendae cum testimonio parochi, rectoris Seminarii etc.; eas dare potest Episcopus, Vicarius Capitularis ante elapsum quoque annum a sede vacante, Vicarius Generalis etiam sine speciali mandato, aliter ac antea (1); item Abbas vel Praelatus *nullius*, et pro sodalibus religiosis Superior maior. Si Episcopus proprius non ipse per se ordinet, sed, litteris dimissoriis traditis, per alium Episcopum curet subditum proprium ordinari, hac suspensione plectiturne? Videretur affirmandum, fine legis attento; at, cum versemur in odiosis et cum canon expresse dicat « qui subditum proprium... *ordinaverit* », censemus probabiliter suspensionem non incurri. Episcopus autem alienus ordinans in hoc casu, quamvis cognoscat certo deesse litteras testimoniales a iure requisitas, procul dubio suspensionem effugit. Ratio est, quia lex loquitur expresse de iis qui subditum *proprium* ordinaverint.

171. — Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico etc. — Ut quis licite promoveri queat ad ordines maiores, requiritur titulus canonicus (2), qui pro clericis saecularibus est *beneficium* vel, eo deficiente, *patrimonium* aut *pensio* (3). Hic titulus

Episcopus, *obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede, provideat per iuramentum suppletorium* ». Quae facultas ab Apostolica Sede obtenta non amplius requiritur ut Episcopus per suppletorium iuramentum providere possit.

(1) Gasparri, *l. c.* n. 710 ; Cappello, *l. c.* n. 6.

(2) Can. 974, § 1, n. 7.

(3) Necesse est, patrimonium *pacifice* possideatur, idest vere, absque ulla fraude et in forma iuris valida. Oportet reditus patrimonii *perpetui* sint, ut nempe clericus ab ordinationis tempore fructus faciat suos per totum vitae cursum, aut saltem donec de alio canonico titulo fuerit provisus. Titulus patrimonii potest esse cappellania laicalis, vitalitia seu perpetua, et etiam amovibilis, modo « qui nominandi iure potiuntur, fidem suam, Episcopi interposita auctoritate, praestiterint, capellanum non esse revocaturos, donec vita fungatur, aut saltem donec de congruo beneficio, vel patrimonio provideatur » (Bened. XIV, *Instit. Eccl.*, XXVI, n. 11). Patrimonium constitui potest ex censu *reali*, nec non ex censu *publico;* item ex bonis ab alia persona in favorem ordinandi valide donatis ad normam iuris. Obligatio *personalis* alendi clericum quoad vixerit aut provideatur, haberi nequit ut patrimonii titulus, nisi congrua firmetur cautione. Proventus ex industria et honesto labore comparati, titulus litteraturae vel doctoris etc. legitimum patrimonium non constituunt. Admittuntur tamquam patrimonia etiam piae quaedam fundationes a testatoribus eo fine institutae ut certo personarum coetui adiudicentur ad

debet esse et vere securus pro tota ordinati vita et vere sufficiens ad congruam eiusdem sustentationem, secundum normas ab Ordinariis pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adiunctis dandas (1). Si desit beneficium vel patrimonium aut pensio, suppleri potest *titulo servitii dioecesis*, et, in locis S. C. de Prop. Fide subiectis, *titulo missionis*, ita tamen ut ordinandus, iureiurando interposito, se devoveat perpetuo dioecesis aut missionis servitio, sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate. Ordinarius autem presbytero, quem titulo servitii ecclesiae vel missionis promoverit, debet conferre beneficium vel officium vel subsidium ad congruam eiusdem sustentationem sufficiens (2).

Pro regularibus titulus canonicus est *sollemnis religiosa professio* seu titulus, ut dicitur, *paupertatis;* pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus *mensae communis, Congregationis* aliusve similis ad normam constitutionum; pro ceteris religiosis, cum iure saecularium regantur, idem est titulus ac pro clericis saecularibus (3).

Vocabulum « *aliquem* » intelligi debet, uti manifestum est ex contextu, de clerico sive proprio sive alieno.

Si Episcopus ordinet clericum, qui titulum (beneficii vel patrimonii aut pensionis) *insufficientem* ad congruam sustentationem habeat, subiacetne huic suspensioni? Distinguendum est: vel certo novit titulum esse insufficientem, vel non. In priori casu, attento praescripto can. 979, § 2, remur suspensionem incurrere, quia titulus certe insufficiens ad congruam clerici sustentationem, non est titulus canonicus et ideo qui cum eodem ordinatur, sine titulo ordinatus censetur; in altero casu, suspensio non contrahitur.

sacros Ordines recipiendos. Patrimonium constitui debet in bonis stabilibus, certis et frugiferis. Nihil refert utrum haec bona in dioecesi ordinandi inveniantur, aut alibi. Patrimonium constituendum est iuxta formam a iure praescriptam, scil. per actum authenticum Curiae episcopalis. Semel constituto, eiusdem bona inalienabilia fiunt et normis peculiaribus reguntur.

Titulus *pensionis* est census quidam impositus aut fructibus beneficii ecclesiastici vel aliis bonis seu ecclesiasticis seu profanis, aut per ecclesiasticam vel laicam personam praestandus. Hinc duplex pensio, ecclesiastica et laicalis; utraque titulus ordinationis. Conditiones, quas de titulo patrimonii tamquam necessarias exposuimus, etiam in titulo pensionis requiruntur. Cfr. Schmalzgr., lib. I, tit. 11, n. 57; Bened. XIV, *De Synod. dioec.*, lib. XII, cap. 9, n. 1; Lucidi, *op. cit.*, I, p. 481 ss.; Pirhing, lib. I, tit. 11, n. 110 s.; D'Annibale, III, n. 156, nota 6; Gasparri, *op. cit.*, I, n. 593 ss.; Wernz, II, n. 92; Cappello, *l. c.* p. 284-288.

(1) Can. 979.

(2) Can. 981.

(3) Can. 982.

172. — Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum etc. — Superior religiosus mittere debet litteras dimissorias ad Episcopum dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus; et tunc tantum Superior ad alium Episcopum praefatas litteras mittere potest, cum Episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore, vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat. Porro necesse est ut singulis in casibus id Episcopo ordinaturo constet ex authentico Curiae episcopalis testimonio (1).

Quocirca in suspensionem incurrit Episcopus, qui, salvo legitimo privilegio (2), religiosum non dioecesanum, seu pertinentem ad familiam quae sit extra dioecesim, ordinaverit, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, si legitime non constiterit Episcopum dioecesanum vel 1° licentiam dedisse, vel 2° esse diversi ritus, aut 3° abesse, aut 4° ordinationem non habiturum proximo legitimo tempore (3), aut denique 5° dioecesim vacare eamque regere qui charactere episcopali careat.

Quamvis authenticum testimonium Curiae episcopalis sit necessarium singulis in casibus ex praescripto can. 966, § 2, tamen Episcopus suspensioni non subest, uti opinamur, si deficiente praefato testimonio, aliunde legitime constet aliquem e memoratis casibus occurrere.

VI.

« *Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in maioribus..... ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit* » (can. 2387).

173. — Religiosus clericus, nempe sodalis cuiuslibet religionis, seu exemptae seu non exemptae, seu iuris pontificii seu iuris dioecesani.

Cuius professio, i. e. sollemnis vel simplex, perpetua vel tem-

(1) Cc. 965, 966; cfr. Cappello, *l. c.* p. 260, n. 6.

(2) Quidam Superiores religiosi, ex. gr. Societatis Iesu ex Const. Gregorii XIII « *Pium et utile* », privilegium habent mittendi litteras dimissorias *ad quemcumque Episcopum habentem gratiam et communionem cum Sede Apostolica.*

(3) Cfr. can. 1006, § 2.

poraria. Debetne intelligi etiam professio temporaria, quae ad normam can. 574, § 1, votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, est praemittenda, ad triennium valitura, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet, nisi constitutiones exigant annuales professiones? Videtur omnino affirmandum, cum canon generaliter loquatur de professione qualibet.

Ob admissum ab ipso dolum. — « Professio sine vi aut metu gravi aut *dolo* emittatur ». Ita statuit can. 572, § 1, n. 4°. Ut huic suspensioni locus fiat, oportet 1° dolus admissus vere sit, et quidem 2° ab ipsomet religioso, non autem a quavis alia persona, ex. gr. a patre vel fratre aut socio.

Nulla fuerit declarata. — Ideo suspensio non incurritur ipso facto, sed solum postquam, re mature perpensa et discussa, professio ob dolum nulla declarata sit. Porro quae ad validitatem cuiusvis religiosae professionis requirantur, memoratus can. 572 tradit.

Si sit in maioribus, idest saltem in sacro subdiaconatus ordine constitutus (1); ideo hac suspensione non tenetur qui minoribus tantum ordinibus sit initiatus.

Suspensus manet, donec etc. — Agitur de poena vindicativa, non vero de censura, ut saepe declaratum fuit.

VII.

« *Capitula vero, conventus aliique omnes ad quos spectat, huiusmodi electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum exhibitionem admittentes, ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae* » (can. 2394, n. 3°) - (2).

174. — Capitula vero, conventus etc. — Agitur de suspensione in communitatem seu collegium lata, de qua vidimus sub n. 162, 19°.

Huiusmodi electos, praesentatos vel nominatos etc. — Sermo est de iis qui electi, praesentati vel nominati ad beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam, admittuntur ad possessionem

(1) Si sit in minoribus constitutus, e statu clericali abiiciendus est (can. 2387).

(2) Cfr. Suarez, disp. XXVIII, sect. 3, n. 5; disp. XXXI, sect. 5, n. 23; Bonac., t. III, disp. III, q. 4, p. 10, n. 4; Const. Pii IX « *Romanus Pontifex* » 28 aug. 1873; Litt. Encycl. S. C. C. 21 nov. 1873 et 23 maii 1874.

vel regimen seu administrationem eorumdem, antequam litteras ecclesiasticae auctoritatis exhibuerint (1).

A IURE ELIGENDI, NOMINANDI etc. — Ut suo loco declaravimus, effectus suspensionis separari queunt. Unus dumtaxat heic effectus indicatur et comprehenditur, scil. suspensio a iure eligendi, nominandi vel praesentandi, quod Capitulo seu Communitati, qua tali, competit.

SUSPENSI MANEANT AD BENEPLACITUM SEDIS APOSTOLICAE. — Quibus ex verbis manifesto patet hanc suspensionem non esse censuram, sed poenam vindicativam ad normam can. 2298, n. 2° (2).

ARTICULUS III.

De suspensionibus Ordinario reservatis.

I.

« *Si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem (ausus fuerit ad iudicem laicum trahere), clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario* » (can. 2341).

Ad hanc suspensionem quod spectat, cfr. cc. 119, 120, et quae alibi declaravimus (n. 92 s.; 109).

175. — SI, NON OBTENTA AB ORDINARIO LOCI. — Intelligi debet

(1) Cfr. can. 334, § 3.

(2) « Qui beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit vel, ad ea electus, praesentatus, nominatus in eorumdem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet:

1° Sit ipso iure ad eadem inhabilis et praeterea ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur;

2° Per suspensionem, privationem beneficii, officii, dignitatis antea obtentae et, si res ferat, etiam per depositionem, cogatur a beneficii, officii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione statim, monitione praemissa, recedere » (can. 2394).

Iure antiquo parochi sive vicarii *intrusi* excommunicatione speciali modo R. P. reservata plectebantur. Cfr. Litt. encycl. S. C. Concilii 23 maii 1874 D'Annibale, *l. c.* n. 90, nota 3; Ball.-Palm., *l. c.* n. 442; Bucceroni, *l. c.* n. 35. Cfr. n. 64 ss.

Ordinarius loci, *in quo causa peragitur*, non autem, ut olim, Ordinarius *proprius*. Id manifesto liquet ex can. 120, § 2 (1). Clerici enim et sodales religiosi utriusque sexus in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter, ex. gr. per concordata, pro locis particularibus legitime provisum fuerit (2).

Aliam personam privilegio fori fruentem, scil. quemcumque, seu clericum seu religiosum, praeter S. R. E. Cardinales, Legatos Sedis Apostolicae, Officiales maiores Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, Ordinarium proprium, Episcopum etiam mere titularem, Abbatem vel Praelatum *nullius*, Superiores religionum iuris pontificii maiores. Ut scias quinam sodales religiosi privilegio fori fruantur; item an et quando eiusmodi privilegium clerici et religiosi amittant, recole, congrua congruis referendo, quae diximus alibi de privilegio *canonis* (n. 131 ss.).

In suspensionem ab officio. — Manifesti iuris est, hanc suspensionem esse veram censuram. Ad effectus quod attinet, vide n. 162, 3°.

Reservatam Ordinario, nempe *proprio*, non vero Ordinario loci, a quo licentia erat obtinenda.

II.

« *Religiosus fugitivus ipso facto incurrit... in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris* » (can. 2386).

176. — Religiosus fugitivus is dicitur, qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi (3). Necesse est, quis vere deserat, secus dici nequit proprie fugitivus ideoque suspensioni haud subiacet. Poena incurritur effectu secuto; quocirca si religiosus tentaverit domum deserere, at quamvis ob causam de facto non deseruerit, suspensione non plectitur.

(1) « Ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur (apud iudicem laicum conveniri nequeunt); quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine iusta et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit. Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit » (can. 120, § 2 et 3).

(2) Can. 120, § 1.

(3) Can. 644, § 3.

Incurrit... in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam. — Haec suspensio est vera censura, cuius absolutio reservatur proprio Superiori maiori. Quinam is sit, alibi dictum fuit. Suspensio, cum sit generaliter lata, omnes effectus comprehendit.

Si sit in sacris. — Itaque non quilibet religiosus fugitivus huic censurae subest, sed tantum presbyter vel diaconus aut subdiaconus.

Articulus IV.

De suspensionibus nemini reservatis.

I.

« *Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis* » (can. 2366).

177. — Sacerdos, idest is omnis et solus qui in sacro presbyteratus ordine sit constitutus; ideoque clerici nondum sacerdotio aucti, ex. gr. subdiaconi vel diaconi, qui ausi fuerint sacramentales excipere confessiones, huic suspensioni non subiacent.

Sine necessaria iurisdictione. — Neminem latet profecto, ad validam peccatorum absolutionem, requiri in ministro, praeter potestatem ordinis, etiam potestatem iurisdictionis, sive ordinariam sive delegatam, in poenitentem (1).

Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, gaudent S. R. E. Cardinales; pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt. Hac eadem iurisdictione gaudent etiam canonicus poenitentiarius ecclesiae quoque collegiatae, et Superiores religiosi exempti pro suis subditis, ad normam constitutionum. Haec iurisdictio cessat amissione officii, et, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto (2).

Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum

(1) Can. 872.

(2) Can. 873; cfr. etiam cc. 183, § 1, 401, § 1.

saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur (1).

In religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumque in religiosa domo diu noctuque degentium causa famulatus aut educationis aut hospitii vel infirmae valetudinis, iurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorumdem Superior, ad normam constitutionum; qui potest eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis. *In religione laicali exempta*, Superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci, in quo religiosa domus reperitur (2).

Sacerdotes tum saeculares tum religiosi, cuiusvis gradus aut officii, ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide excipiendas, revocata qualibet contraria particulari lege seu privilegio, indigent peculiari iurisdictione, quam confert Ordinarius loci, ubi religiosarum domus sita est (3).

Ad confessiones valide audiendas necessaria est iurisdictio *scripto* vel *verbis expresse concessa* (4); quare non sufficit praesumpta vel tacita.

Omnes sacerdotes utriusque cleri approbati in aliquo loco ad audiendas confessiones, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam vagos et peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cuiusque ritus orientalis, valide ac licite absolvere. Qui vero ordinaria potiuntur absolvendi potestate, possunt subditos absolvere ubique terrarum (5).

In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite excipere possunt confessiones quorumcumque poenitentium, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, eosque absolvere a peccatis et a censuris quibuslibet (6).

Sacerdotes, qui maritimum iter arripiunt, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere

(1) Can. 874, § 1. — Immutationem maximi momenti hac in re introductam fuisse nemo est qui non videat; nam iure antiquo sacerdotes religios, iurisdictionem immediate a R. P., non autem a loci Ordinario, per Superiores suos accipiebant, et nonnisi ad confessiones *saecularium* excipiendas, ipsis opus erat approbatio ab Ordinario loci concessa. Cfr. D'Annibale, III, n. 183. nota 13; Noldin, *Summa* etc. III, n. 359.

(2) Can. 875; cfr. etiam can. 514, § 1.

(3) Can. 876; cfr. quoque cc. 239, § 1, n. 1°, 522, 523, 525.

(4) Can. 879, § 1.

(5) Can. 881.

(6) Can. 882; cfr. n. 31, II.

transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquamdiu consistat variis in locis diversorum iurisdictioni subiectis. Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petunt eosque valide et licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis (1).

Ex his, quae necessario nobis erant exponenda ut dignosceretur disciplina de iurisdictione in iure novo vigens, quisque perspicue cognoscit *num* et *quando* sacerdos excipiat confessiones sacramentales *sine necessaria iurisdictione*, et consequenter *num* et *quando* hanc suspensionem incurrat.

Praesumpserit. — Ut suspensio contrahatur, necesse est, sacerdos noverit 1° se iurisdictione necessaria carere, 2° confessionum auditionem vetitam esse sub hac censura. Excusat ignorantia, licet crassa et supina, ac metus etiam levis. Itaque suspensioni non subest sacerdos qui cum *dubia* iurisdictione, nulla quoque urgente causa, confessiones recipit (2).

Sacramentales confessiones, idest quae fiunt non consilii petendi causa aut solatii animi gratia, sed proprie ad obtinendam peccatorum absolutionem. Ita et non aliter facta, confessio, iuxta communem theologorum doctrinam, dicitur estque vere sacramentalis (3).

Audire; quare ad suspensionem incurrendam necesse non est ut sacerdos absolvat seu fingat absolvere; sufficit ut *sacramentaliter* excipiat confessionem. Ratio, quia irreverentia irrogatur Sacramento et iniuria poenitenti, qui ex sacramentali confessione ius acquirit ad recipiendam absolutionem.

Suspensus a divinis. — Ad effectus quod attinet eiusmodi suspensionis, vide n. 162, 5°.

(1) Can. 883.

(2) Cfr. Suarez, *De Poenit.* disp. XXVI, sect. 6, n. 1; S. Alph., VI, n. 571; D'Annibale, III, n. 185; Ball.Palm., V, n. 628.

(3) Suarez, *l. c.*, disp. XXXII, sect. 2, n. 7; Lugo, *De Poenit.* disp. XXIII, sect. 43, n. 5; Croix, *op. cit.*, VI, II, n. 1942; S. Alph., *l. c.* n. 636; D'Annibale, *l. c.* n. 226.

II.

« *Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit... a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus* » (can. 2366).

178. — Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit. — Huc spectant quae modo declarata fuerunt (n. 177).

A peccatis reservatis; non ideo solum a censuris, sed *a peccatis*, quod sedulo est animadvertendum; nam peccata posse reservari etiam sine censura, nemo profecto est qui ignoret (1). Nihil refert utrum peccata sint reservata Sedi Apostolicae, uti est falsa delatio qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos (2), vel Episcopis. Verba enim « *a peccatis reservatis* », cum generalia sint, generaliter intelligi debent, de quacumque scil. reservatione, sive iure communi sive iure particulari seu dioecesano statuta. Praeterea haud interest num peccata cum vel sine censura sint reservata.

Absolvere. — Hac de re vide quae supra tradidimus (n. 47). Nota, suspensionem non incurri, si quis absolvat cum iurisdictione probabili aut etiam dubia, vel ex ignorantia licet crassa et supina. Requiritur enim *praesumptio*.

Suspensus est ab audiendis confessionibus. — Suspensio haec habet rationem censurae unumque nominatim expressum parit effectum.

III.

« *Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus* » (can. 2374) - (3).

179. — Quatuor casus iique distincti indicantur.

Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris. — Quid sint litterae dimissoriae, a quonam dandae etc., declaravimus sub

(1) Cfr. can. 893 ss.

(2) Can. 894.

(3) Cfr. Many, *De sacra ordinatione* (Parisiis, 1905), n. 102 ss.; Gasparri, *l. c.* n. 490 ss.; Kober, *op. cit.* p. 210; Wernz, II, n. 72 s.

n. 169. Litteras dimissorias *falsas* accipere debemus sive substantialiter immutatas seu partim veras, dummodo, nota, mutetur reipsa sensus et quidem in re substantiali (secus enim huic suspensioni locus certe non esset), sive ex integro confictas. Cfr. n. 99 s.

Vel ante canonicam aetatem. — Subdiaconatus conferri non debet ante annum vicesimum primum completum; diaconatus ante vicesimum secundum completum (1); presbyteratus ante vicesimum quartum completum. Ad primam tonsuram nemo sive saecularis sive religiosus est promovendus ante inceptum cursum theologicum (2).

Ordines minores, de quibus nihil expresse statuit Codex, sunt conferendi tempore intermedio, ita tamen ut inter primam tonsuram et ostiariatum ac inter singulos ordines minores *prudenti Episcopi iudicio* interstitia serventur, et prima tonsura ne conferatur una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores una simul (3).

Vel per saltum. — Ordinationes *per saltum*, idest uno alterove ordine praetermisso, omnino prohibentur (4); ordines enim sunt gradatim conferendi, ita ut qui gradum inferiorem non habeat, ad superiorem recipiendum idoneus haud sit. Ab antiquis iam temporibus ordinationem per saltum districte vetari, nemo est qui ignoret (5); quae tamen ordinatio, quamvis illicita, valida est (6), si excipias, iuxta communiorem sententiam (7), episcopatum, praetermisso presbyteratu (8).

Ad ordines, seu maiores seu minores. Non comprehenditur prima tonsura, licet ad ipsam quoque recipiendam necessariae sint litterae dimissoriae proprii Episcopi, et canonica aetas requiratur. Ratio, quia (vide n. 167) prima tonsura nullam spiritualem potestatem confert, a qua tonsuratus suspendi possit.

(1) Can. 975.

(2) Can. 976, § 1.

(3) Can. 978.

(4) Can. 974, § 1, n. 5°, 977.

(5) Cfr. can. un. D. 52; c. un. *De clerico per saltum promoto* X (V, 29); Conc. Trid. Sess. XXIII, *De reform.*

(6) Cfr. c. cit. X (V, 29); Gasparri, *l. c.* I, n. 496; Wernz, *l. c.* n. 73.

(7) Billot, *De Eccl. Sacr.* vol. II, th. XXXI; Vernz, *l. c.*

(8) Iure Decretalium mala fide promotus per saltum erat suspensus ipso facto ab ordine sic recepto. Suarez, disp. XXXI, sect. 1, n. 45 s.; Schmalzgr., *l. c.* n. 9; Pirhing, lib. V, tit. XXIX, n. 5; Bonacina, disp. III, quaest. I, punct. II; Many, *l. c.* n. 106. — Post Constit. « *Apost. Sedis* » suspensio proprie dicta non amplius vigebat, sed simplex *prohibitio* ministrandi in ordine sive bona sive mala fide recepto. Cfr. Pennacchi, *l. c.* p. 478; Santi, lib. V, p. 165, n. 2; Gasparri, *l. c.* n. 498; Wernz, *l. c.* nota 89; VI, n. 442.

Malitiose accesserit, nempe mala fide, et quidem graviter culpabili. Vox *malitiose* refertur ad omnes quatuor casus nominatim in hoc canone enumeratos.

A recepto ordine suspensus; non ideo ab ordinibus rite susceptis, sed solum ab eo quem receperit vel sine litteris vel cum falsis dimissorialibus litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum, manet clericus suspensus. Eiusmodi suspensio est censura, non reservata. At, quamvis non agatur de suspensione reservata, clericus per saltum promotus prohibetur exercere ordinem male receptum, donec praetermissum ordinem receperit.

IV.

« *Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit* » (can. 2400).

180. — Clericus, quicumque sit, seu parochus seu canonicus aliusve, etiam Abbas vel Praelatus *nullius*; non vero Episcopus.

In manus laicorum; intellige in manus auctoritatis civilis seu eorum qui eamdem repraesentant, quorum nempe est ex lege resignationem beneficii vel officii aut dignitatis ecclesiasticae acceptare.

Resignare; intelligitur vera et formalis renuntiatio, quamvis invalida omnino. Auctoritas competens, uti palam est, quoad beneficiorum, officiorum etc. resignationem, est una auctoritas ecclesiastica, scil. vel Ordinarius vel Sedes Apostolica (1).

Praesumpserit. — Ad incurrendam suspensionem oportet, clericus cum plena cognitione egerit; quocirca excusat ignorantia crassa et supina sive legis sive solius quoque poenae, et quilibet metus, etiam levis.

In suspensionem a divinis incurrit. — Haec est poena medicinalis seu censura, reservationi haud obnoxia. Ad effectus quod attinet eiusmodi suspensionis *in divinis*, recole quae suo loco (n. 162, 5°) tradidimus.

V.

« *Abbas vel Praelatus* nullius *qui contra praescriptum can.* 322, § 2, *benedictionem non receperit, est ipso facto a iurisdictione suspensus* » (can. 2402).

(1) Cfr. can. 1484 ss.

181. — Contra praescriptum can. 322, § 2, benedictionem non receperit. — Ita se habet memoratum praescriptum: « Abbates vel Praelati *nullius* qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem ab Episcopo, quem maluerit, accipiant ».

Itaque tres conditiones requiruntur ad suspensionem incurrendam, nempe 1° ut Abbas vel Praelatus *nullius* vel ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debeat, iuxta formam quae habetur in Pontificali Romano sub titulo *De benedictione Abbatis;* 2° ut tres menses lapsi iam sint ab apostolicis litteris receptis; 3° ut legitimum impedimentum absit.

A iurisdictione suspensus; non ideo *ab officio*, vel *a divinis* etc. Quid importet suspensio *a iurisdictione*, alibi declaratum fuit (n. 162, 4°). Haec suspensio censurae profecto rationem habet.

VI.

« *Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can.* 958, § 1, n. 3, *ipso facto subiacet suspensioni a divinis* » (can. 2409).

182. — Vicarius Capitularis is dicitur, qui, sede impedita aut vacante, dioecesim regit (1). Sicubi ex speciali Sanctae Sedis dispositione Archiepiscopus vel Episcopus Administratorem dioecesis vacantis designet, hic suspensioni, de qua agimus, subest, ut liquet ex praescripto can. 431, § 2; non item Administrator Apostolicus ad tempus datus (2), quamvis eadem iura ac officia habeat ac Vicarius Capitularis. Versamur enim in odiosis.

Concedens litteras dimissorias etc. — Praescriptum can. 958, § 1, n. 3°, hoc est: « De Capituli consensu Vicarius Capitularis post annum a sede vacante (litteras dimissorias dare potest); intra annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum ». Quocirca Vicarius Capitularis incurrit in suspensionem: 1° si intra annum a sede vacante, cum vel sine Capituli consensu, litteras dimissorias det iis qui arctati haud sint vel ratione beneficii obtenti aut obtinendi, vel ratione officii, cui statim sit providendum ob dioecesis necessitatem; 2° si

(1) Cfr. can. 429 ss.
(2) Can. 315, § 2.

post annum a sede vacante praefatas litteras dimissorias concedat sine Capituli consensu.

Subiacet suspensioni a divinis. — Haec censura reservata non est. Quod ad effectus spectat huius censurae, vide n. 162, 5°.

VII.

« *Superiores religiosi qui, contra praescriptum cc.* 965-967, *subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione* » (can. 2410).

183. — Superiores religiosi, non quicumque, sed tantum maiores et quidem exempti, quibus nimirum ius est litteras dimissorias concedendi.

Qui contra praescriptum cc. 965-967 etc. — Citati canones ita sonant: « Episcopus ad quem Superior religiosus litteras dimissorias mittere debet, est Episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus » (1).

« § 1. Tunc tantum Superior religiosus ad alium Episcopum litteras dimissorias mittere potest, cum Episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore ad normam can. 1006, § 2, vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat.

« § 2. Necesse est ut singulis in casibus id Episcopo ordinaturo constet ex authentico Curiae episcopalis testimonio » (2).

« Caveant Superiores religiosi ne in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam familiam mittant, aut concessionem litterarum dimissorialium de industria in id tempus differant, quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes » (3).

Proinde Superiores religiosi qui uno aliove modo hac in re deliquerint, sive dimissoriales litteras remiserint ad Episcopum alienum extra casus nominatim recensitos in can. 966, § 1, sive subditum ordinandum ad aliam religiosam domum in fraudem Episcopi dioecesani miserint, sive litterarum dimissorialium con-

(1) Can. 965.
(2) Can. 966.
(3) Can. 967.

cessionem de industria distulerint in id tempus, quo Episcopus aut abfuturus aut ordinationes habiturus non sit, suspensionem contrahunt. Cfr. n. 172.

Praesumpserint. — Plena cognitio facti et legis ac poenae requiritur plenaque voluntas, ita ut quaevis ignorantia, non tamen affectata, excuset, et metus quamvis levis.

Suspensi sunt per mensem. — Haec suspensio, ut manifesto liquet, non est censura, sed poena vindicativa. Mensis sumitur prout est in calendario, et tempus supputatur de momento in momentum (1).

A Missae celebratione; ideo unus est effectus eiusmodi suspensionis expresse indicatus; quocirca Superiores religiosi ita suspensi licite possunt Sacramenta et Sacramentalia ministrare aliosque actus potestatis ordinis et iurisdictionis exercere.

APPENDIX

DE CENSURIS IN CONST. PII X " *VACANTE SEDE APOSTOLICA* " CONTENTIS

184. — Canon 2330 decernit: « Quod attinet ad poenas statutas in delicta quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt, unice standum Const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 Decembris 1904 ».

Porro in memorata Constitutione novem continentur excommunicationes *specialissimo modo*, uti aiunt, reservatae futuro R. Pontifici, a quibus ne Maior quidem Poenitentiarius absolvere potest. « Ita ut hanc legem violantes excommunicationem ipso facto incurrunt, *a qua, sicut ab alia quavis et contra quoslibet in hac Constitutione imposita et irrogata, seu infra imponenda et irroganda poena excommunicationis, a nullo, ne a Maiori quidem Poenitentiario*, cuiuslibet facultatis vigore, *praeterquam a Romano Pontifice*, nisi in mortis articulo, *absolvi possit* » (Const. « *Vacante Sede Apostolica* », tit. II, cap. IV, n. 51).

Praescriptum can. 2254 (vide n. 31, II, III etiam praefatas excommunicationes respicere pro certo habemus.

(1) Can. 34, § 2.

I.

« *Cardinales omnes et singuli, valetudine non impediti, cum tertio pulsata per loca solita Conclavis campanula fuerit, ad scrutinium convenire debent; cui legi si quis non obtemperaverit, latae sententiae excommunicationis poenam incurrat* » (Const. cit. n. 37).

185. — VALETUDINE NON IMPEDITI; nam si aliqui Cardinales infirmi sint in suis cellis, tres Cardinales Infirmarii ad eorumdem vota colligenda pergunt iuxta formam et ritum in memorata Const. descriptum (1).

AD SCRUTINIUM CONVENIRE DEBENT. — Scrutinia singulis diebus peragi debent mane post solitam Missam, et Hymnum *Veni Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu Sancto, et prima quidem tantum die post Cardinalium sacram peractam Communionem; et post meridiem hora opportuna, pariter post Hymnum *Veni Creator Spiritus* et orationem de Spiritu Sancto (2).

Manifesti iuris est Cardinales hanc censuram non incurrere, nisi *malitiose* egerint.

II.

« *Volumus ut epistolae, aut cuiusvis generis scripta, etiam typis edita, tum ad eos, qui in Conclavi sunt (non exceptis S. R. E. Cardinalibus), tum praesertim e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti nullatenus possint, nisi prius omnia et singula S. Collegii Secretarii, ac simul Praelatorum qui ad custodiam Conclavis deputati sunt, examini atque inspectioni subiiciantur. Absolute autem omnibus interdicimus, ne ephemerides quotidianae vel periodicae extra Conclave mittantur. Qui vero contra fecerint, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant* » (Const. cit. n. 50).

186. — Verba sunt omnino clara, ita ut explicatione nullatenus opus sit.

III.

« *Ab omnibus in Conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur in iis omnibus, quae ad electionem Romani*

(1) Tit. II, cap. v, n. 69; cfr. Cappello, *De Curia Romana. Sede vacante*, II, Romae, F. Pustet, 1913, p. 472 s.

(2) Const. cit. n. 77.

Pontificis pertineant, et in iis quae in Conclavi seu in loco electionis agantur... ita ut hanc legem violantes excommunicationem ipso facto incurrant » (Const. cit. n. 51).

187. — Ab omnibus in conclavi partem habentibus. — Praeter Cardinales quot et quinam in Conclave admittantur, ex ipsa Const. « *Vacante Sede Apostolica* » (1) colligitur : « Quilibet Cardinalis in Conclavi duobus servientibus clericis, vel laicis, vel uno clerico et uno laico, contentus sit; infirmis autem et graviter affectis... tertius indulgeri potest. Conclavistae praelati esse non possunt, neque consanguinei vel affines in primo et secundo gradu Cardinalium... Sacri Palatii Apostolici Sacrista quoque cum uno vel pluribus (ad S. Collegii arbitrium) clericis coadiutoribus in officio sacristae, itemque magistri caeremoniarum non plures quam sex Conclave ingrediantur, muneribus quae ad ipsos pertinent vacaturi. Adsit praeterea unus S. Collegii Secretarius tantum, unus religiosus pro confessionibus excipiendis, duo medici, unus chirurgus, unus aromatarius cum uno aut duobus inservientibus... ».

In iis omnibus etc. — Secretum religiosissime servandumea omnia et sola respicit 1° quae ad electionem Romani Pontificis pertinent, et 2° quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, non vero quaelibet alia.

Excommunicatio, ut manifesto patet ex formula iurisiurandi (2), solum incurritur si secretum violetur *Conclavi perdurante*, non vero post egressum seu factam Summi Pontificis electionem, quamvis, ut liquet ex n. 53 mem. Const., ne tunc quidem liceat secretum huiusmodi violari « nisi ab eodem Pontifice peculiaris ad hoc facultas aut expressa dispensatio concessa fuerit ».

IV.

« *Specialiter autem, sub eiusdem excommunicationis poena, Cardinales prohibemus, ne suis familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis ea pandant, quae scrutinium directe vel indirecte respiciant, itemque quae in Cardinalium Congregationibus sive ante Conclave sive ipso durante habitis acta vel decreta sint* » (Const. mem. n. 52).

188. — Cardinales prohibemus. — Haec censura omnes et

(1) Tit. II, cap. II, n. 38, 43 ; cfr. Cappello, *De Curia Romana. Sede vacante*, II, p. 389 ss.

(2) Const. cit. n. 40.

solos Cardinales afficit, non vero Secretarium Sacri Cardinalium Collegii aliosque Conclavistas.

Ne suis familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis ea pandant etc. — Secretum, sub excommunicationis poena servandum, complectitur omnia et singula 1° quae directe aut indirecte scrutinium respiciunt; 2° quae acta sint vel decreta in Congregationibus Cardinalium tam ante Conclave quam eo durante habitis. Nomine *scrutinii* heic intelligi debet sive *antescrutinium* (cuius quinque sunt actus), sive *scrutinium* proprie dictum (cuius octo numerantur actus), sive *postscrutinium* (cuius tres sunt actus (1); nam ritus scrutinii tres actiones continet, quarum altera antescrutinium dicitur, alia scrutinium, tertia postscrutinium. Nota, tempore Sedis vacantis duplicem haberi Cardinalium Congregationem, alteram *generalem* seu totius Collegii, alteram *particularem*, quae constat Cardinali Camerario et tribus Cardinalibus antiquioribus ex unoquoque Ordine (2). Porro secretum refertur ad utramque Congregationem memoratam, et etiam ad Congregationes quas Conclavi perdurante Cardinales habent.

Ut supra declaravimus (n. 187), obligatio de secreto servando urget quidem graviter onerata conscientia etiam post electionem Romani Pontificis, non tamen sub poena praefatae excommunicationis.

V.

« *Huiusque criminis reos poena excommunicationis latae sententiae innodamus* » (Const. cit. n. 79).

189. — Huiusque criminis, scil. *simoniae* in electione Romani Pontificis (3). Simoniae crimen, tam divino quam humano iure detestabile, in electione R. Pontificis Vicarii Iesu Christi D. N. abominabile esse, et universali Ecclesiae perniciosum, compertissimum est (4).

Reos. — Quamvis Const. Julii II nonnisi Cardinales excommunicatione innodaret (5), tamen, attentis verbis Const. « *Vacante*

(1) Const. cit. n. 58 ss.; Cappello, *l. c.* p. 449-475.

(2) Const. cit. n. 6 ss.; Cappello, *l. c.* p. 109 ss.

(3) Cfr. Const. Iulii II « *Cum tam divino* », 14 ian. 1505, quae confirmata fuit in Conc. Later. V ; Gambarus, *Comm. in Extrav. Iulii II de elect. simon. R. P.*, Romae, 1528; Gonzales, in cap. *Cum in Ecclesia*, n. 5 *de simonia;* Cappello, *l. c.* p. 477 ss.

(4) Vide quae alibi (n. 122) diximus de simonia.

(5) Cfr. Cappello, *l. c.* p. 479.

Sede Apostolica » (n. 79), dubitandum non est quin censurae subiaceant *omnes*, qui crimen simoniae commiserint (1).

VI.

« *Item sub excommunicationis poena prohibemus ne quis, etiamsi Cardinalatus honore fulgeat, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, tractare de ipsius Successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere praesumat* » (Const. cit. n. 80).

190. — Item sub excommunicationis poena prohibemus. — Symmachus Papa in Synodo Romana (an. 499) - (2) tractatus de Pontificis electione, eo vivente et inconsulto, gravissimis sub poenis prohibuit. Item Paulus IV peculiarem edendam censuit Const. « *Cum secundum Apostolum* » XVII Kal. Ian. 1558, ut crimen ambitus atque tractatus sollemni oraculo proscriberet et damnaret, statuta in delinquentes poena excommunicationis R. Pontifici reservatae ipso facto incurrendae (3).

Ne quis, seu clericus seu laicus, publica aut privata persona, mas feminave, sine ulla restrictione aut exceptione (4).

Etiamsi Cardinalatus honore praefulgeat; ideo etiam S. R. E. Cardinales, utpote expresse nominati, huic subiacent excommunicationi.

Vivente Romano Pontifice et eo inconsulto; quocirca duplex conditio requiritur ad censuram incurrendam, idest ut delictum, de quo agitur, perpetretur 1° Sede Apostolica plena, seu dum adhuc vivit Romanus Pontifex, et 2° eo inconsulto; nam deficiente hac conditione, cessat, uti palam est, ratio delicti et consequenter causa censurae.

Tractare de ipsius Successoris electione etc. — Triplex actio eiusmodi excommunicatione coërcetur, nempe 1° *tractare* de futuro Pontifice eligendo, non vero simpliciter loqui aut opinari; vox enim *tractare* significat agere ex professo, negotium persolvere,

(1) Attento praescripto can. 2227, § 2, Cardinales, quippe qui expresse haud nominantur, subsuntne huic excommunicationi? Nostram sententiam proferre non audemus. Videant sapientiores.

(2) Cfr. c. 2, C. 79; Bonacina, disp. II, quaest. III, punct. I; Cappello, *l. c.* p. 464 ss.

(3) V. Cappello, *l. c.* p. 485.

(4) « Omnes et singuli, tam clerici quam utriusque sexus laici, qui per se vel per alios etc. ». Ita Const. cit. Pauli IV.

conventiones seu pacta inire etc.; 2° *aliquod suffragium polliceri*, idest votum quoad eligendum in Romanum Pontificem; idque *directe* nonnisi a Cardinalibus, quibus unice et privative competit ius eligendi Summum Pontificem (1), praestari potest; *indirecte* vero etiam ab aliis; 3° privatis conventiculis factis *aliquid deliberare* et *decernere* de futuri Pontificis electione; nota verba « *deliberare* » et « *decernere* », quae non mera colloquia significant aut discussiones, sed animi consilium seu propositum, mandatum, statutum etc. (2).

Praesumat; itaque ignorantia, licet crassa vel supina, ab hac excommunicatione contrahenda excusat, et metus etiam levis.

Auxilium, consilium vel favorem praestantes, secus ac iure antiquo, censura non plectuntur (3).

VII.

« *Sub... poena excommunicationis latae sententiae, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant* Veto *sive* Exclusivam, *etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc* Veto, *qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium Collegio simul congregato sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios* » (Const. Pii PP. X « *Commissum Nobis* »).

191. — Omnes et singulos S.R.E. Cardinales etc. — Subiacent excommunicationi 1° Cardinales et quidem omnes et singuli, quamvis forte iam excommunicati vel suspensi aut interdicti sint; nam ad effectum electionis Romani Pontificis, censurae, iisdem alias in suo robore permansuris, suspenduntur (4), ita ut ab electione activa et passiva Summi Pontificis nullo modo excludi queant; 2° Secretarius S. Collegii Cardinalium, quo munere fungitur pro tempore existens Adsessor S. Congregationis Consistorialis (5); 3° alii omnes, seu clerici seu laici, in Conclavi partem habentes. Vide n. 187.

Quovis praetextu, idest qualibet ratione seu causa aut fine,

(1) Cfr. Const. cit., tit. II, cap. I, n. 27.
(2) V. Bonacina, *l. c.* n. 5.
(3) Cfr. Cappello, *l. c.* p. 486.
(4) Const. cit. n. 29.
(5) Const. Pii X « *Sapienti consilio* », 29 iun. 1908, I, 1, n. 6.

puta, ex intentione agentis, etiam honesta et laudabili, qui reipsa tamen libertati Ecclesiae in re tanti momenti adversatur.

A QUAVIS CIVILI POTESTATE MUNUS RECIPIANT. — Necesse est 1° agatur de *civili potestate*, non autem de privatis personis, neque de coetu ecclesiastico, ex. gr. de Concilio provinciali vel nationali; 2° quis *munus recipiat*, scil. deputetur, quasi mandatum seu negotium gerendum excipiens.

VETO SIVE EXCLUSIVAM. — Sermo est de *vera* seu *directa*, quam vocant, *Exclusiva* (1), non autem de *exclusiva factionis* aut *inclusiva* (2).

ETIAM SUB FORMA SIMPLICIS DESIDERII; ideo non solum *formalis* attingitur *Exclusiva*, verum etiam quaevis alia, modo *vera* seu *directa* sit, sub forma quoque *simplicis desiderii* proposita.

PROPONENDI. — Attentis verbis « *munus recipiant... proponendi* », putamus excommunicationem incurri eo ipso quod quis *munus recipiat*, antequam de facto proponat, nam delictum idque grave contra sacri Cardinalium Collegii libertatem, iam perfectum

(1) Exclusiva *directa* seu *publica* proponitur a Cardinali Coronae vel a legato regio, nomine et auctoritate principis, universo sacro Cardinalium coetui; *formalis* habetur, cum Cardinalis Protector seu Coronae publice coram Sacro Cardinalium Collegio declarat regem (Hispaniae vel Austriae aut Galliae) *Veto* contra aliquem ex candidatis ponere, ita quidem ut eiusmodi exclusiva tamquam verum propriumque ius ex parte Status proponatur. Dolendum profecto est quosdam auctores, qui catholico nomine gloriantur, adiudicasse regibus Austriae, Galliae et Hispaniae *Exclusivam* vel tamquam ius consuetudinarium, idest usu iamdiu receptum ex praescriptione firmatum (cfr. Wahrmund, *Ausschliessungsrecht der Katholischen Staaten, Oesterreich, Frankreich und Spanien bei den Papstwahlen*, p. 124), vel ut privilegium quoddam pure et simpliciter a Sede Apostolica tribus praecipuis nationibus concessum (cfr. Wiseman, *Souvenirs*, p. 83), vel tamquam privilegium conventionale, quatenus ex mutuis relationibus inter sacerdotum et imperium suapte natura profluit (cfr. Lector, *Le Conclave. Origine, histoire, organisation, législation ancienne et moderne*, Paris, 1904, p. 573). Quam absurde haec similiave affirmentur, nemo est qui ignoret; nam — ut verbis Pii X utamur quae in memorata Const. « *Commissum Nobis* » leguntur — « si qua est in Ecclesiae vita functio quae huiusmodi libertatem postulet maxime, illa profecto censenda talis est, quae in Romani Pontificis electione versatur... Romani Pontifices... nihil paene maiore contentione studiove conati sunt, quam ut externae cuiusvis potestatis interventum a sacro Cardinalium Senatu ad Pontificem eligendum vocato propulsarent. Rem plane declarant Constitutiones « *In eligendis* » Pii IV; « *Æterni Patris* » Gregorii XV; « *Apostolatus Officium* » Clementis XII; in primisque Pii IX, « *In hac sublimi* » - « *Licet per Apostolicas* » et « *Consulturi* ».

De origine historica atque evolutione *Exclusivae* seu *Veto* ac de eiusdem natura iuridica cfr. Cappello, *l. c.* pp. 491-540.

(2) Cfr. Cappello, *l. c.* p. 526 ss.

habetur in munere eiusmodi recepto. Quod verba subsequentia confirmant.

Ipsumve hoc Veto. — Alia actio, ut palam est, heic indicatur censurae obnoxia.

Qualibet ratione sibi cognitum, nempe seu publice seu privatim, palam aut clam, sive a civili potestate quis noverit sive aliunde.

Patefaciant. — Actio censurae obnoxia est *simplex* manifestatio *Veto* seu *Exclusivae*, modo fiat advertenter et quidem culpabiliter.

Sive universo Cardinalium Collegio... sive singulis purpuratis Patribus; quocirca ad incurrendam excommunicationem requiritur et sufficit ut quis, seu Cardinalis seu Secretarius sacri Collegii seu alius Conclavista, patefaciat Cardinalibus, non autem ceteris Conclavistis, *Exclusivam* quavis ratione sibi cognitam.

Sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime; haec verba latissimo sensu sunt accipienda, ita ut quamcumque manifestationem quomodolibet factam comprehendant.

Sive oblique sive per alios; proinde etiam *mandantes* excommunicationi subiacent.

Censura non contrahitur, si *Exclusiva* patefiat vel Romano Pontifice vivente vel eo electo, ut, ceteris omissis, liquet ex formula iurisiurandi, quod Cardinales praestare debent. In ea enim dicitur: « *sive ante Conclave sive ipso perdurante* ».

VIII.

« *Cardinales praeterea abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibuscumque obligationibus, quibus adstringi possint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum; quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri decernimus, et contra facientes ex nunc excommunicationis poena innodamus* » (Const cit. n. 82).

192. — Haec poena respicit pactiones, conventiones aliasque obligationes, quae, *Sede vacante*, fiunt seu ineuntur; ea enim quae, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, fiant, respicit excommunicatio superius declarata sub n. 190. Tractatus pro electione habendi, Sede vacante, minime vetantur. Proinde non eos coërcit haec censura, sed solum *obligationes* quaslibet (1).

(1) Cfr. Bonacina, *l. c.* punct. II, n. 3 ss.

IX.

« *Si quis litteras super negotiis quibuscumque confectas, quae a Romano Pontifice ante coronationem suam emanaverint, audeat impugnare, excommunicationis sententia innodamus* » (Const. cit. n. 88) - (1).

193. — Si quis, scil. quicumque, seu clericus seu laicus, seu privata seu publica persona.

Litteras... quae ante coronationem etc. — Post electionem canonice factam, electus, consensu praestito, illico est verus Papa, atque actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest (cc. 109, 219). Coronatio vero est mera caeremonia, ex qua nullum quippe ius tribuitur electo in Romanum Pontificem. Proinde si quis litteras, quae a Papa ante coronationem emanaverint, impugnet, obedientiam detrectat legitimo Christi Vicario in eumque gravem iniuriam committit, supremam ipsius auctoritatem recognoscere nolens.

Audeat; igitur excusat ignorantia etiam crassa vel supina.

Impugnare idem est, in casu praesenti, ac vim seu valorem litteris denegare, *ex errore seu opinione quod R. Pontifex ante incoronationem nequeat litteras signare*, non vero ob aliam quamcumque rationem (2).

(1) V. Bonacina, disp. II, quaest. II, punct. XI.

(2) Cfr. Clem. V, cap. 4 *de sent. excomm.* V, 10 in Extravag. comm.; Bonacina, *l. c.* n. 3.

A. M. D. G.

INDEX SYNOPTICUS RERUM

PARS I.

DE CENSURIS IN GENERE

Caput I.

De natura, subiecto et causa censurae.

		Pag.
Art. I. —	*De natura censurae*	1
	I. Notio	1
	II. Divisio	3
Art. II. —	*De subiecto activo censurae seu de auctore*	5
	I. Potestas Ecclesiae	5
	II. Quis generatim censuras ferre possit	6
	III. Quinam iure ordinario censuras ferre possint	6
	IV. Quinam iure delegato possint censuras irrogare	7
Art. III. —	*De subiecto passivo censurae*	8
	I. Subiectum passivum in genere	8
	II. Peregrini	11
	III. Religiosi exempti	12
	IV. Num et quanam ratione possit quis pluribus censuris ligari	12
	V. Num censura possit afficere corpus morale et locum	13
Art. IV. —	*De causa censurae seu delicto*	13
	I. Culpa ob quam censura ferri potest	13

Caput II.

De conditionibus requisitis ad infligendam censuram et de causis ab ea excusantibus.

Art. I. —	*De iis quae servari debent in censuris ferendis*	16
	I. Conditiones ex parte auctoris	16
	II. Modus	18
	III. Monitiones	19
Art. II. —	*De causis a censura excusantibus*	20
	I. Ignorantia	20
	II. Metus	21
	III. Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis	21

Caput III.

De censurae declaratione, denuntiatione, reservatione ac de appellatione.

		Pag.
Art. I. —	*De censurae declaratione ac denuntiatione*	22
	I. Declaratio	22
	II. Denuntiatio	23
Art. II. —	*De censurae reservatione ac de appellatione*	23
	I. Reservatio	23
	II. Appellatio vel recursus	25

Caput IV.

De censurae absolutione.

Art. I. —	*De censurae absolutione in genere*	26
	I. Quomodo censura cesset seu tollatur	26
	II. Regulae absolutionem censurae respicientes	27
	III. Conditiones requisitae ad absolvendum	29
Art. II. —	*Quinam possint absolvere a censuris*	31
	I. Extra mortis periculum	31
	II. In periculo mortis	33
	III. In casibus urgentioribus	33

PARS II.

DE CENSURIS IN SPECIE

Caput I.

De excommunicatione in genere.

Art. I. —	*De excommunicationis natura*	37
	I. Notio	37
	II. Excommunicati vitandi et tolerati	38
Art. II. —	*De effectibus excommunicationis*	39
	I. Privatio communium suffragiorum Ecclesiae	39
	II. Privatio usus passivi Sacramentorum et Sacramentalium	40
	III. Privatio usus activi Sacramentorum et Sacramentalium	40
	IV. Privatio divinorum officiorum	42
	V. Privatio iurisdictionis ecclesiasticae	43
	VI. Prohibitio officia seu munera ecclesiastica exercendi et incapacitas consequendi dignitates, beneficia etc.	43

Pag.

VII. Prohibitio fruendi privilegiis ab Ecclesia antea obtentis et inhabilitas ad gratias pontificias consequendas 44
VIII. Remotio seu exclusio ab actibus legitimis ecclesiasticis 46
IX. Privatio sepulturae ecclesiasticae 46
X. Privatio communionis civilis seu in profanis . 47
XI. Num et quale peccatum sit communicare cum excommunicato 48
XII. Effectus extraordinarii et mediati excommunicationis 48

Caput II.

De excommunicationibus latae sententiae.

Art. I. — *De excommunicationibus latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis* 49
I. In absolventem vel fingentem absolvere complicem in peccato turpi 49
II. In confessarium directe violantem sigillum sacramentale 58
III. In violentas manus iniicientem in personam R. P. . 62
IV. In species consecratas abiicientem vel ad malum finem abducentem aut retinentem . . . 63
Art. II. — *De excommunicationibus speciali modo reservatis Sedi Apostolicae* 65
I. In apostatas, haereticos et schismaticos . . 65
II. In suspectos de haeresi 70
III. In editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum; in defendentes, legentes vel retinentes eosdem libros aut libros per Litt. Apost. nominatim prohibitos 72
IV. In simulantes Missae celebrationem aut sacramentalem confessionem 76
V. In appellantes ad Universale Concilium . . 78
VI. In recurrentes ad laicam potestatem; in prohibentes promulgationem vel exsecutionem, laedentes aut perterrefacientes 79
VII. In edentes leges, mandata etc. contra libertatem aut iura Ecclesiae; in impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae 83
VIII. In trahentes ad iudicem laicum Cardinales, Legatos Sedis Apost., Officiales Maiores Curiae Romanae vel Ordinarium Proprium 86
IX. In eos qui violentas manus iniiciunt in personam Cardinalis, Legati R. P., Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi 89
X. In usurpantes vel detinentes bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia 92

Pag.

XI. In fabricatores et falsarios litterarum etc. Sedis Apostolicae, ac iisdem utentes 94
XII. In falso denuntiantes confessarium de sollicitationis crimine 96
Art. III. — *De excommunicationibus Sedi Apostolicae simpliciter reservatis* 100
I. In quaestum facientes ex indulgentiis . . 100
II. In nomen dantes sectae massonicae aliisve associationibus eiusdem generis 100
III. In absolventes ab excommunicationibus sine debita facultate 103
IV. In impendentes auxilium vel favorem excommunicato vitando ; in clericos cum eodem communicantes ipsumque in divinis officiis recipientes . . 104
V. In trahentes ad iudicem laicum Episcopum, Abbatem etc. 106
VI. In violantes clausuram monialium et regularium virorum ; in moniales e clausura illegitime exeuntes 107
VII. In usurpantes bona ecclesiastica . . . 112
VIII. In duellum perpetrantes et fautores . . . 115
IX. In clericos vel regulares matrimonium contrahentes 117
X. In reos simoniae 118
XI. In eos qui documenta Curiae Episcopalis subtrahunt vel destruunt aut celant vel immutant . . 120
Art. IV. — *De excommunicationibus Ordinario reservatis* . . 121
I. In eos qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico, aut cum pacto ut proles educetur extra catholicam Ecclesiam, aut liberos tradunt baptizandos ministris acatholicis, vel tradunt liberos educandos in religione acatholica . . . 121
II. In eos qui falsas reliquias conficiunt, vendunt, distribuunt vel publicae venerationi exponunt . 123
III. In eos qui violentas manus iniiciunt in personam clericorum et religiosorum 124
IV. In procurantes abortum 126
V. In religiosos apostatas 128
VI. In professos votorum simplicium perpetuorum matrimonium ineuntes 129
Art. V. — *De excommunicationibus nemini reservatis* . . . 130
I. In auctores et editores Librorum Sacrorum, eorumdem adnotationum aut commentariorum . . 130
II. In mandantes seu cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae infideles, apostatas, haereticos etc. . 131
III. In dantes vel recipientes bona ecclesiastica sine beneplacito apostolico, aut consensum praebentes . 132
IV. In cogentes sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam professionem . 135
V. In eum qui scienter omittit denuntiare confessarium sollicitantem 136

Caput III.

De interdicto.

Pag

Art. I. — *De interdicti notione* 140
Natura 140
Divisio 142
Art. II. — *De interdicto in specie* 143
Interdictum personale particulare . . . 143
Interdictum personale generale . . . 144
Interdictum locale sive generale sive particulare . 146
Interdictum ab ingressu Ecclesiae . . . 149
Causa interdicti seu culpa 150
Sollemnitates iuris servandae 151
Quomodo cesset interdictum 151
Art. III. — *De interdictis reservatis* 153
I. In Universitates, Capitula etc. ad Universale Concilium appellantes 153
II. In dantes ecclesiasticam sepulturam infidelibus, apostatis, haereticis etc. 155
Art. IV. — *De interdictis non reservatis* 156
I. In celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis, vel admittentes clericos excommunicatos, interdictos etc. 156
II. In eos qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium . 157

Caput IV.

De suspensione.

Art. I. — *De suspensionis natura* 158
Notio 158
Divisio 160
Effectus suspensionis 162
Quomodo cesset suspensio 168
Art. II. — *De suspensionibus Sedi Apostolicæ reservatis* . . . 169
I. In Episcopum consecrantem aliquem sine mandato Apostolico, item in Episcopos vel presbyteros assistentes 169
II. In clericos per simoniam promotos aut simoniace sacramenta ministrantes vel recipientes . . 171
III. In praesumentes recipere ordines ab excommunicato vel suspenso etc., vel a notorio apostata, haeretico etc. 173
IV. In professum votorum perpetuorum ob delicta quaedam dimissum 174
V. In ordinantes alienum subditum sine litteris dimissoriis, vel subditum proprium sine litteris testimonialibus aut sine titulo canonico ; in ordinantes religiosum ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis . . . 176

Pag.

VI. In religiosum clericum constitutum in sacris, cuius professio ob admissum ab ipso dolo nulla fuerit declarata 181
VII. In capitula, conventus etc. electos, praesentatos vel nominatos admittentes ante litterarum exhibitionem 182
Art. III. — *De suspensionibus Ordinario reservatis* 183
I. In clericum trahentem ad iudicem laicum clericos aut religiosos 183
II. In religiosum fugitivum 184
Art. IV. — *De suspensionibus nemini reservatis* 185
I. In sacerdotem qui praesumit audire sacramentales confessiones sine iurisdictione necessaria . 185
II. In sacerdotem qui absolvit a reservatis sine necessaria iurisdictione 188
III. In ordinatum sine litteris vel cum falsis litteris dimissoriis, vel ante aetatem canonicam, aut per saltum 188
IV. In clericum resignantem in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam . 190
V. In Abbatem vel Praelatum *nullius* qui benedictionem non receperit 190
VI. In Vicarium Capitularem litteras dimissorias concedentem 191
VII. In Superiores religiosos qui subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittunt . . 192

APPENDIX

De censuris in Const. Pii X « *Vacante Sede Apostolica* » contentis.

I. In Cardinales ad scrutinium non convenientes . 194
II. In eos qui epistolas aliaque scripta mittunt aut recipiunt sine examine et inspectione Secretarii S. Collegii et Praelatorum 194
III. In secretum violantes 194
IV. In Cardinales familiaribus aut aliis manifestantes ea quae in scrutiniis acta sunt 195
V. In reos simoniae 196
VI. In eos qui, vivente R. Pontifice, tractant de ipsius Successoris electione 197
VII. In recipientes *Veto* illudque patefacientes . . 198
VIII. In Cardinales se adstringentes pacto vel conventione ad suffragium alicui dandum 200
IX. In eos qui impugnant litteras R. Pontificis ante incoronationem editas 201

6844

348.522
C 16

AUTHOR Cappello, Felice S.J.

TITLE De Censuris

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709